bores promeritis interſtitiis intercalare. Exeant modò liberis pedibus eruditorum Lyceorum ambitum, ſeque dehinc conferant, ad blandientem Villarum viriditatem, ibique tranſigant in ulmorum ac vitium umbrâ lætas dies, ſeque perinde ſimul habilitent ad promerendos Virtutum lauros; uſurpentur oculis argentei fontium cryſtalli, auſcultentur ſcitè iratorum rivulorum murmura, decurrantur eorundem pulchrè ſinuoſi flexus: deambulentur extenſæ pratorum planities; ſuperentur aſcenſu eminentes ac amœni colles, ut contractâ dulci fatigatione, quieſci confidentiùs poſſit, ſuper Parnaſſum & Heliconem. Non pigeat certis temporibus ruralem comitari Pomonam, ut cùm Palladis, tùm Minervæ quoque denuò ferventiùs reaſſumi queat obſequium. Atque ut etiam ad Apollinis iucundiùs redeatur cytharam, volupè modò ſit, eiuſdem, in habitu venatoris divinam adminiſtrare & arcûs & ſagittarum armaturam. Demum ne diutius vos morer, id â vobis impetrari patiamini, velim; ut nunc benignâ frui dignemini Autumni temperaturâ, quatenùs hoſthac adventante hyberni rigoris inclementiâ, ipſi vos in Vrbem recepti, uberem vobiſcum referre valeatis florum, ingeniorum ſcilicet, abundantiam, & in apertam rurſus Accademiam quandam inferre, Veris imaginem.

10. Cæterum vos N. Si, pro argumenti deductione, thematiſque commiſſi probâ, aut nihil, aut parùm pro guſtu fuit allatum, veniam officioſè imploro. Et dabitis, ſcio: ſeu quoniam per integrum huius anni decurſum nectareum ab aliorum labris ſuxiſtis ſaporem; ſeu quoniam vobis perſpectiſſimum eſt, in fundo (nam hic meus omnium diſcurſuum ultimus eſt) turbatiorem Semper & minus ſuavem manere ſolere liquorum ſubſtantiam.

LAVS DEO

Non intermissis cursibus ibit equus.

Non lectum â vobis in Romano sapiente, quòd: *nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quadam, & languor?* ac proinde: *danda est remissio animis. Quoniam meliores acrioresque requieti surgent.* Sanè, ipsos dies festos quos sinceri fideles ad reformandum applicant Spiritum, & ad merum DEI consecrant obsequium, olim gentilitas assumpsit (nisi memoratus nuperrimè Seneca nos fallit) ut laboribus quietem interponerent, atque publico gaudio cives ad honestum restaurandisque viribus necessarium otium avocarent: *tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Atque hinc profectum fortassis est, quòd cùm â civitatibus prudenti regimine gubernatis, tum â SS. Canonibus, Conciliis, & Collegiatis Ecclesiis; tum ab ipsis quoque SS. Patribus Basilio, Hieronymo, Augustino, Benedicto, Dominico, Francisco, Brunone, certa tempora assignentur, quibus â consuetis laboribus desistatur: â Civitatibus quidem curiis, foro, iudicibus & tribunalibus; â Canonibus, Conciliis &c. Templorum Ministris; â SS. Patribus & Legislatoribus, suis in instituto, quod pro lege sanxerunt, sequacibus: omnibus ab omnibus illum in finem, ut tensum seu negotiorum, seu Servitiorum, seu quorumvis Spiritûs applicationum arcum quandoque remittant, remittendo rursus intendant, fortificent, & ad ulteriora studia qualificent.

De tranquill. c. 15.

9. Quam ob rem, si consonum veritati, sit, quod cantatum â Papista mantuano: quòd:

I v Sylvar 4. ad Innoc. VIII.

Omnia quæ duro sunt debilitata labore,
Restituit secura quies; medicamina fessis
Otia sunt; lassis instaurant otia vires;
Quas labor enervat, quas longa negotia frangunt.

Id unicum porro superest, ut Dominis Accademicis, qui cygnorum adinstar hactenus in studiorum suorum nataverunt sudore, ammodo complaceat, gloriosos suos labores

relaxationem ; eoſdemque carpit, velut indiſcretos, & vitricâ acerbitate depravatos ; quod nempè liberos libertati genitos, tam arctè circumdent, ceu captivitati obnoxios habeant, ſervilibus catenis innodent ſeu ſtudiorum etiam odioſorum aſſiduitati violenter adiudicent. Et quid denique cogitatur â vobis, malè cautis, & â vera prudentia derelictis ? meminiſſe deberetis, quòd omnium litteratorum Numen quantumvis aliàs infatigabile.

Neque Semper arcum
tendit Apollo. Horat. l. 2. od. 10

Deberetis etiam animadvertere, quòd Alcides genuinum heroicæ virtutis ſymbolum non ſemper in acie ſtet, confligendo cum monſtris ; ſed quandoque etiam nervoſas manus genis, clavæ robuſta brachia ſubmittat, otij dulcibus fruendo delitiis. Si, quam ducimus homines, vita, dici conſuevit continua peregrinatio ; quævis ratio perſuadet, eidem opportere concedi diverſorium ; cuius in umbra debitiſque commoditatibus laſſa membra reclinet, fatigationem demulceat, fugatas vires revocet, priſtinum robur inſtauret, quatenus ad præfixum itineris terminum pervenire valeat. An non veſtram venit in mentem, Cytharedos in inſtrumentis ſuis, muſicæ dedicatis, tenſas chordas omni ſtudio remittere, quatenus ſcilicet, immunes â ruptione permaneant, ſuo vero tempore rurſus pulſatæ, iucundiſſimâ conſonantiâ cælum adimpleant ? Et quid obſecro ? tauro robuſtius (cum Ovidio loquor) quid equo Spirituoſius ? Nihilo tamen minus & ille, ſi perinde nulla ipſi concedatur reſpiratio, ſub enormi iugi pondere fractus, enervatuſque Succumbet ; & iſte, ſi quies omnis ipſi denegetur, in generoſi Martis campo, infelix mortis victima evadet.

Cernitis ut duris (& quid bove firmius ?) arvis
fortia taurorum corpora frangat opus ?
Occides ad circi ſi quis certamina Semper

collectum, distraxisse gloriatus est, versuum iocosorum compositione, argutarum comœdiarum structurâ, ridicularum personarum in theatris intuitu, ludorum, facetiarum, iocorumque succedaneâ admissione: *Facio nonnunquam* (loquitur Plinius) *versiculos severos parum; facio comœdias & audio & specto mimos. Aliquando præterea rideo, iocor, ludo*; [Il. 5. Ep. 3.]

Posset hic adiungi Gregorius quidam Nazianzenus, qui cùm devotarum contemplationum rigorem, tum seriam studiorum assiduitatem intercipere solebat, frequentatis propè mare deambulationibus; quidam Antonius Abbas, Sanctitatis in Ægypto monstrum; qui solitarius quidem, at non semper solus, inter umbrosos sylvarum recessus, iucundam cum suis monachis, innocentemque capiebat delectationem: quidam Augustinus, qui hicce locorum, Mediolani nempè docens Rhetoricam, Tempore Vindemiarum ad umbram plantarum residens, Spiritum refocillabat, ingeniosis studiis delibutum. Quid? quòd & ipsum DEI Verbum, dum in hac mortali morabatur carne, nunc longo *fatigatus ex itinere* licet ex divinæ virtutis consortio facilem admodum ac opportunam sumere potuisset virium refectionem, maluerit tamen ad arginem fontis sedendo, languentem recreare humanitatem: nunc Apostolos, Evangelicis laboribus fractos invitaverit, ad solitarium secessum, & iucundam in eodem respirationem: *venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum*; nunc eosdem adhortans ad vigiliarum nocturnarum incommoda, orationumque prolixitatem: *Vigilate & orate*: ut harum virtutum facilitaret exercitium; iisdem statim proposuerit quietem & somnum: *dormite jam, & requiescite*. Ut proin infallibilis Poëtæ Sulmonensis sententiæ accedat authoritas: [Joan. 4. 6.] [Marc. 6. 31.] [Matth. 26. 41.]

[Ovid ep. 4.]

> *Quod caret alterna requie durabile non est;*
> *Hæc reparat vires, fessaque membra levat.*

[Hermm.] 8. Hinc multa cum ratione Plutarchus invehitur in illos Patres, qui filiis suis nullam penitus permittunt re-

rum actuum gloriam anheloſè perſequentibus ſuam, concedi debere requiem, ſuam fatigationum interruptionem ſuum ſolatium, ſuam in villis ruſticam moram, non quidem, ut eiuſmodi grandium litterarius vigor inter vindemiarum otia relaxatione ſopiatur; verùm ut ipſis feriis quaſi feriatur, excitetur, & ad egregiorum, factorum æmulationem fortiùs ſtimuletur. *Excitatur enim otio vigor*, docente Marco ſeneca *& omnis triſtitia quæ continuatione pertinacis ſtudij adducitur, feriarum hilaritate diſcutitur.* *Proem. controvers.*

7. Atque huius quidem veritatis perſpectione, celebriores quæque Perſonæ, quæ monumentis hiſtoriarum inſigniuntur, perſuaderi ſe paſſæ ſunt, ut, quatenus heroicarum actionum tenorem conſtanter continuarent, eaſdem quæſito ſtudio interrumperent, otio diſcingerent, honeſtis oblectamentis interpolarent; Ita Romanorum nobiliſſimi, Scipio, Leliuſque, quoniam animi candore meritorumque pretio, margaritas portabant in Sinu, quandoque fallendo tempori, prope maris littus eiecta colligere ſolebant conchylia. *Valer. mag l. 8. c. 8.* Quin eundem Scipio pedem, quo tremorem incuſſit provinciis, genialibus ſubinde, feſtiviſque exercuit choreis, *Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros.* *Senec. de tranquil. lit. c. 6.* Octavianus Auguſtus, ille nempe, qui per decem continua luſtra mundi vaſtum ſuſtinuit globum, certas & ad id deſtinatas horas Pilâ decipere conſuevit, aëre infarta, & ad ſubſultationes concitata. Socrates item & Ageſilaus, ille ſapientiæ ſublimitate, hic militaris diſciplinæ peritiâ famoſiſſimi, teneræ ætatis Pueris nonnunquam ſe miſcere, eorum infantilia ſtudia imitari canniſque, vel arundinibus inequitare, non erubuerunt. Etiam terribile belli fulmen, Achilles, viciſſitudines adamavit; nunc obrutas barbarorum Phalanges ſtricto gladio diſſipando; nunc domeſticorum ſuorum corda, cytharæ pulſatione demulcendo: *militare robur leni pacis ſtudio ralexabat.* *Valer. max. l. citi.* Minor quoque Plinius, quantumvis â cenſuris continuo laceſſitus, animum aliàs Semper

dentium tuorum ebur Sanguinis purpurâ ſæpiùs intingis ? tu, qui in emaciatis & in arcum quendam incurvatis coſtis armamentarium quoddam circumfers, quo feras ſagittes ? tu qui curſum præcipitando, quoddam evadis animatum telum, nemorum fulmen, quid iaces hic deſes, quid pigrè ſtertis, quid inertiâ conſumeris ? quam creditis obtenturum â taliter interpellato reſponſionem ? quam ? *otior, ut ocyor.* Aliquam membris meis indulgeo quietem, ut eadem ad novum diſponam laborem : ab otio ſpero fieri velocior : ipſe me conieci in terram, ut velut Anteus virium renovem vigorem: : ut fortior dehinc meum & aggrediar & proſequar inimicum. *Remiſſiones enim*, perhibente Dione, *ad novos labores præparant.* Rurſus, ſi præter eiuſmodi canem alibi conſpectui ſe offerret equus, generoſis Spiritibus fumans, nobili ferociâ fervens, ſanguinis vivacitate luxurians, ventum in pedibus, ſcintillas in oculis, fumum in naribus, oſtentans ; intectus ephypio, phaleriſque concinnè inſtructus ; fræno tamen remiſſè pendente liberè ſeſe circumferens, non quidem in pulverulenti Martis campo, ſed in herboſi prati amœnitate ; dubio procul & curioſitati & admirationi ſatisfieret â lemmate : *otio vigorem excitat.* Quo ſcilicet inſinuaretur, hanc ideo duntaxat concedi reſpirationem brevemque virides illas inter delitias moram & uſum, ut vel laſſas antecedenter, vel ſaltem torpidas corporis facultates, intenderet, eaſque rurſus hac methodo diſponeret, cùm ad martialium tumultuum tolerantiam, tum ad bellicorum conatuum evictionem.

Sub. ſim. 62.

6. Cæterùm cùm in induſtrioſo pariterque ſagaci cane, diligens communiter repræſentari conſueverit, & virtutis, & ſapientiæ veſtigator ; in equo dein animus nobilis, generoſus, virtuoſè ſe gerendi percupidus ; quid utriuſque mentione hactenus â me factâ innuere, vobis velim, ab ipſis vobis jam intelligi, deprehendique nullus dubitaverim : nimirùm litteratis quoque & animis generoſo-

rum

tutibus scintillas suscitat, iisdem Spirituum vivacitatem influit, ad egregia patranda stimulos cudit : quod cantatum â Statio :

vires instigat, alitque l. 4 Sylv.
Tempestiva quies; maior post otia virtus.

4. Atque hæ quidem sententiæ dubio procul mererentur, ut basi nostræ palmaribus characteribus insculperentur ; quibus nihilominus Hieroglyphicum adiungetur ab Vlisse Aldrovando regristratum ; serviturum pro valido Achille, ad argumenti, quod probari cœptum, evictionem. Atque rogare quidem â vobis licitum mihi sit, cuius mentis aut opinionis essetis, aut quid censeretis de Aquila, in situ sedendi otiandique figurata ? quid putaretis, cum eâdem taliter compositâ, ab eruditis velle significari ? ignaviam ? desidam ? cædem ; iacturam, aut aliquod aliud infortunium ? non equidem, N. sed potius ausuum heroicorum symbolum ; cum matura consultatione, prudentique conatu, ad finem gloriosè deductorum. Ita Semper ab antiquis olim Auspicibus iudicatum ; ita pariter â docto cuius modò meminimus, Aldrovando. Sed enim si Sessio l. 1. Ornith. 10. grandibus operibus emphasin addit & energiam, quid prohibet, quin eadem aquilis imperetur acutis & perspicacibus; Aquilis Dominorum Accademicorum : ut deinceps ad egregios virtutum conatus accincti, titulo *laboriosorum*, titulum adiungatis gloriosorum, prodigiosorum, & immortalium.

5. Et verò, quoniam in Autumni sumus principio, & ab ipsa temporis habitudine venationis admonemur, aut ad eandem invitamur ; licitum utique fuerit, ut quendam canibus intuitum impertiamur. Atque si vestrum quisquam N. vivacem quendam venaticum, collectis adinvicem pedibus, iacentem, in terra cum ventre protensum, otio, quietique vacantem conspiceret, interpellaretque : quid tu hic equidem, quid rerum agis generose ? tu qui

Peripatetici, iudicantis, vitam citra quietem & iocum diu non posse proferri: *Requies sanè & iocus in vita esse necessaria videntur*: & alibi; *cum nequeant homines assiduè operari requie indigent.* Hinc quilibet prudens â Plutarcho monetur, *ut otio & quieti indulgeat: siquidem velit ad præclaras & honestas actiones afferre corpus.*

4 Eth. c. 8: l. 10. c. 6.

lib. de va[l]e[t]ud[ine] tuenda

3. Cæterùm cum de otio mihi Sermo est, illud nullatenus intellectum velim, quod matrem agnoscit acediam, quod desidiosa quadam malignitate aminos inficit, segnitie soporat, pigritiâ corrumpit: non illud, quod rivales suos in quædam cadavera commutat, vitiorum putredine involvit ad vermes remorsuum condamnat; non illud, quod vel in morbidis plumis somnolentum, vel in lautis mensis saginatum, execrabiles excessus progenerat; non illud, quad seditiosos in exercitibus tumultus disseminat, libidinosa in cordibus incendia suscitat, virilem in fortibus vigorem enervat: non illud cuius vitioso fermento tersa cassidum ensiumque politura obducitur rubigine; aëris læta serenitas fœcum turbatur vaporatione; crystalinus aquarum liquor memphitico vitiatur putore; venusta hortorum amœnitas tribulis invaditur, virgultis obruitur, demum in horridum quoddam desertum deformatur. Verùm illud â me nunc otium intenditur, quod cum illustribus quibuslibet operibus, claritudine, meritoque contendit; illud, *non quo evanescit virtus*, differente Valerio Maximo, *sed quo recreatur.*; illud, quod â grandibus animis cum cauta prudentiæ distinctione, subin arripitur; *ut tempestiva laboris remissione.* (verba sunt modò memorati valerij) *ad laborandum fiant vegetiores*: illud, quod languido corpori fractoque laboribus animo subvenit, vires velut aurum potabile recreat, novumque vitæ alimentum subministrat: de quo Poëta:

l. 8. c. 8.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Ovid. 1. pont Eleg. 5.

Illud demum, quòd follis adinstar sopitas in virtuti-

domi, ingenium tardum, aut minùs expeditum. Itaque de ſuadendâ quiete, mea inpræſens occupabitur oratio; id tamen ſimul diligenter obſervaturus, ut, ubi cæteri, qui de eodem argumento hactenus ante me ſermocinati ſunt; diſcurſus ſuos tanto cum acumine, tantaque cum ſubtilitate exegerunt, ut ipſas videri poſſent, velut pyramides velle ſtellas ferire: ego cùm cognominis, tum talentorum quoque ratione parvulus, nunquam diſcedam â baſe: firmâ nihilominus ſpe fretus; dandam â vobis veniam conceptuum meorum humilitati, quando pro rei exigentia circa depreſſam baſin erunt occupati.

2. Inter omnia, quæ quidem ſubtus lunam exiſtunt, entia penitus nullum arbitror eſſe, quòd ſubinde non affectet, quiete refocillari; hæc enim rerum, quòd laborioſis illis ſphærarum circulis ſubiaceant, conditio eſt, ut quandoque deficiant, langueant, ac perinde qua vigorem reſumant, quietis tranquillitate indigeant. Ita campi, poſtquam accepta ſementa in auream produxerunt meſſem vigore videntur exhauſti, & omninò deſtituti: qui tamen poſthac iterum egregiè reſumitur poſtquam feriatio quædam indulgetur. Similiter & quadrupedia, quæ vel in terræ cultura, vel in ovilium cuſtodia, vel in itinerum protractione, vel in laborioſa bellicorum ſervitiorum frequentiâ ſuas conſumpſerunt vires, otij ſomnique beneficio denuò reſarciunt, quòd iniuriâ neceſſitatis amiſerunt. Quin & ipſe non minùs humanus animus, licèt indole ſuâ extra mortalitatis limites conſtitutus, corporis, cui coniungitur, laſſitudinem participat; dumque proeterea curis, ſeu domeſticis familiæ, ſeu civilibus Patriæ, publicorumque negotiorum executione fatigatur; ſcientiarum item artiumque ſpeculatione, anxioque peritiæ deſiderio atteritur, certiùs, citiù'que lenimen aliquod non conſequitur, quàm ſi in otij amplexus ſe recipi patiatur. Hinc Plato ſolitus erat dicere: *hoſtem eſſe diſciplinarum, defatigationem.* Cui conſenſus accedit, Pe- l. 7. de Rep.

harmonia ; quâ cœlum replevêre , natantes in margine cygni. Et verò , si sensum sub huius figmenti cortice latitantem scrutari velimus , illum utique reperiemus , quòd nobili prosapiâ genitis , vel maximè conveniant , Hippocrenes delitiæ litteratæ. Aperuit aquarum istarum scaturiginem equus , animal bellicis officiis , natum , ut simul appareret , ausuum bellicorum , terminum esse debere oblectamenta Musarum. Evocavit fontem hunc Pegasus & evocavit firmatis in saxeâ mole pedibus , ut inde demonstraretur , quòd Spiritus generosi ignem in venis , ventum in pedibus gerentes , non tam debeant aggredi sublimia , tractare laboriosa , plenoque volatu cum ad gloriæ , tum meritorum quoque apicem contendere ; quàm subinde , suis intervallis , virtuoso volatui frænum iniicere rapidum pedum cursum sistere , otio negotia interpolare , ac fructuosæ requiei dulcedini indulgere. Atque hoc quidem vel iudicium , vel opinionem , nisi fortè vehementer fallor , cùm ab universali vestro Domini Academici , symbolo edocemur ; tum etiam â Lyrico Venosensi , qui litteratos labores in pyramide figurare , aut exprimere solitus , sub quorundam librorum suorum finem gloriatur :

Exegi monumentum ære perennius ,
Regalique situ pyramidum altius.

Hinc utique ductâ similitudinis habitudine , quòd sicut Pyramidis altitudo supra quadratam basin stabilitur , ita quæ Spiritibus abundant , acumine præcellunt , aliisque ad litteraturam natis dotibus eminent , ingenia , concessâ subinde quiete , otijque respiratione , velut in sustentante basi conserventur. Porrò cum octo circiter dies jam sint , quo hanc mihi provinciam iniungere vobis benevolè complacuit , ut assertum eam , ingenia vigorem ab otio mutuare ; vitatis ambagibus ad debiti exolutionem me accingo : & eò quidem promptiùs , quo convenientius esse iudico eum , disserere de quiete , & â laboribus cessatione , cui res curta de-

calcaveritis ſemitam, premetis veſtigia, ſequemini exempla, adhærebitis protectioni, pariter & vobis optatiſſima ſit obventura ſors, reperiendi ſcilcicet hîc in terrâ, ſanitatis, incolumitatis ac felicitatis opulentiam; illic autem ſupra, quondam obtinendi illorum theſaurorum poſſeſſionem, qui nullis unquam ſæculis amitti poterunt, aut per ullam eripi deprædationem.

Lectio Academica.

VIRTUTIS VIRES AB OTIO RESTAURARI.

LOngis, & ab ipſa jam antiquitate ſuſceptis traditionibus edocemur, N. Pegaſum, illum ſcilicet â famâ tam celebratum; quondam inſtructis ritè, firmatiſque Pennis ſuper acclives Heliconis rupes, quæ plus cæteris ſe nubibus inſinuant, aſcendiſſe, inibique vagum aliquamdiu volatum interrupiſſe. Vbi deinceps, cùm ungula repetitis ictibus terram percuſſiſſet, fons erupit, in cryſtallinos rivulos elegantiſſimè diffluens: quem poſthac Hypocrenem, ſeu fontem equinum appellatum, eruditorum pennæ miris laudibus extulerunt. Præ reliquis autem in amoribus eſſe cœpit ſtupendus iſte fons, Muſis & cygnis. Neque facilè quis decreverit, iucundiorne fuerit iubilus, quo propè decurrentium rivulorum delitias, ſolvebantur Muſæ: vel dulcior har-

ad ipsos venit divinitatis fontes, torrentesque gaudiorum, quæ cæli subministrant; ut in iisdem ora non proluat duntaxat, sed plena libertate immergat: Ille Vincentius, qui finem nullum faciens in innocentis sui corporis exuvias sævire, easdem flagellis proscindere, aut aliàs quomodolibet divexare; veluti ferrum ad omnimodam perfectionem dedicatum, modò splendet, & in beatitudinis regno gloriosè fulgurat: Ille Vincentius qui quaslibet ab ipsa opulentiâ oblatas divitias generosè reiiciens, ad beatorum ascendit aulam, & suam inter stellas gloriæ diffundit lucem: Ille Vincentius, qui ex profundæ humilitatis plenitudine, purpuras, tiarasque contemnens, nunc comparet *amictus lumine sicut vestimento*: recipitque coronam, non ab hominum manu ferream, sed â Dei dextera *coronam de lapide pretiosa*.

Psal. 103. 2.

Psal. 20. 4.

17. Sed enim, vos, N: qui Vincentij suspicitis actiones, admiramini virtutes, reveremini gloriam, modò vestram eò disponite devotionem. Siquidem si quondam Spartani *ferreos nummos habebant*, eorundemque beneficio, quibusvis, queîs urgebantur, humanis indigentiis prospiciebant; rursus, si velut jam dixi *omnis in ferro salus*, omnis obtinetur & retinetur felicitas; quidni vos quoque N cùm ad Ferrerium recurretis, eiusdem protectionem sollicitabitis, imitationem intendetis, capaces reddamini, in quos, qualescunque demum desiderata prosperitas seu temperanea, seu æternâ corporum vestrorum aut animarum conferatur, & plena manu dispensetur?

Theat. liberalitas. 106. 2.

18. Somniavit olim Guntramus Burgundiæ Rex ferreum pontem se transiisse, & in opposita ripa suberbissimum Thesaurum repperisse. Nec inane somnium fuit. Etenim quod dormienti repræsentatum fuit, posthac vigilanti reipsa obvenit. Et quorsum ego hæc memoro, nisi quòd, cùm Ferrerius hinc â terrâ conscendens in cælum, ex semetipso ferreum formaverit pontem; si vos Ferrerij cal-

Sanitatem, plus quàm octingentorum miraculorum patrator, & eorundem in diversissimis modis distributor. Et quidni concipiamus in Vincentio, renovatum totâ Hispanniâ celebre simulacrum; ab Alcone, non infimæ notæ sculptore, Thebis erectum? referebat hoc Herculem, totum ex solido ferro fusum & elaboratum: atque ideo quidem ex solido ferro, ut in huius metalli firmitate præfati Herois cùm invincibilis patientia, tum constans etiam in omnibus adversitatibus fortitudo ad vivum conspici posset repræsentata. *Extat Thebis ferreus Hercules quem fecit Alcon* narrante Plinio, *laborum Dei patientiâ inductus*: quandoquidem in ipso Ferrerio quendam contueor Herculem, & Herculem ferreum, ad miraculum usque patientem & fortem, in omnibus mundi assultibus insuperabilem, omnibus monstrorum quæ tandem unquam emittere poterat infuriatus infernus, molestiis superiorem, semper impavidum, semper invincibilem, propter ubivis relicta suæ fortitudinis vestigia penitus incomparabilem. Cæterùm si ferro, dum in crucibulo fluit, pulvis adiiciatur, aliás *lapis Phylosophorum* nominatus; in nobiliorem abit substantiam, in pondere sumit incrementum, aquirit flauedinem, & ipsius induit auri pretiositatem. Pariter Vincentius quem ex solido ferro constare vobis hactenus ostendi, dum in ardentissima liquatur febri, & mortis aspergitur pulvere, & ipse pristinam corporis mutat compagem, mortalem exuit substantiam, & auri adipiscitur nobilitatem: in cœli deinceps translatus Ærarium, & illam illatus in Patriam, quam Apocalipticus Propheta *aurum mundum* nominat: ubi etiamnum inter beata tripudiat lumina, & ipso luminum suavissimè fruitur Patre. Atque adeò Vincentius, mundi victor, è mundo dimissus, ibi superiùs suorum modò colligit sudorum prœmia, laborum mercedem, atque debitos factis suis, citra dubium heroicis, triumphos: Ille Vincentius, qui Deum continuò sitiens, & aridis præ siti labris vix aquæ refrigerium concedens; jam

Plin. l. 34.

E f. 2. adi

ritatem gloriosè renati. Loquor in compendio, de centum & pluribus etiam millibus, variis vitiorum abominationibus ſtygmosis aut defædatis, pariter â portentoſo Vincentio ad pœnitentiam illectis, & conductis: nam ſi ſingulos, aut ſingula ſingulariter proſequi deberem, mirabilia nempe, queîs ſceleratorum affectus occupavit & emendationem obtinuit, vix menſis, aut etiam menſes ſufficerent; contendentibus univerſim hiſtoricis, quòd *ferè infiniti operis laborem pro ſui deſcriptione poſtularent*: Hinc eadem & ego quoniam pro dignitate nec referre, nec celebrare valeo, attonito ſilentio involvo. Interim illud ſatis agnoſco, Vincentium, ſuum â ferro cognomen, iure merito mutuâſſe. Etenim & illius laborioſa merita & huius mechanici uſus eleganti paralelâ conformantur. Ferrum ſeu aciei in falce, ſeu dentium in occa, ſeu vomeris in aratro, formam nactum, *evertit & æquat*: rumpit calloſas glebas, malas evellit radices, applanat terram, & ad copioſam meſſem diſponit; Et Ferrerius quid? & ipſe evertit & evellit, vitiorum nempè radices, defectuum Spinas, errorum ſentes; diſtortas peccatorum complanat vias, & eoſdem ad ferendos ſalutis fructus nervoſè conducit. Mundus ſi modò fidem adhibere placet, cuidam Politico, & acquiritur, & regitur *ferro & auro*: Ferro quoque Ferrerius & auro mundi huius contumaciam fregit, reluctantiam vicit, & cùm DEI, tùm virtutis obſequiis ſubiecit: auro nempè ſuæ ſapientiæ, & ferro longanimitatis. *Ferrum*, uti pridem
Daniel. doctum â Daniele, *comminuit & domat omnia*. Et Fer-
c. 2. 40. reus Ferrerius; nec ulla fuit tam pertinax voluntas, quam non moverit; nec cordis durities, quam non emolliverit; nec animæ ſceleribus deditæ obſtinatio, quam non flexerit, domuerit, ſuperaverit. *omnis in ferro ſalus*, olim pro ſymbolo fuit Antonino Caracallæ; omnis etiam in Ferrerio quàm plurimis ægrotis, & aliàs malè habentibus: quippe quibus non animæ duntaxat ſalutem contulit, ſed & corporis

Sa-

~~1311 – 6 – 8 – 6 – 472~~

252

39. 7

P55

TRIBUTA ENCOMIORUM,

HEROICIS

QUORUNDAM SANCTORUM VIRTUTIBUS

OBLATA

à

REVERENDISSIMO DOMINO

D. PHIL. PICINELLO,

Abbate Canonicorum Regularium Lateranenſium.

NUNC LATINITATE DONATA

à

R. P. UDALRICO STAUDIGL,

Monacho Benedictino in Exempto Monaſterio Montis Sancti Andechs, SS. Theologiæ Doctore, Protonotario Apoſtolico, & p. t. Oeconomo.

PERMISSU SUPERIORUM.

CAMPODUNI,

Impenſis LAURENTII KRONIGERI & Hæredum THEOPHILI GOEBELII, Bibliopol. Auguſtan.

Anno M. DC. XCVII.

INDEX
Sequentium Diſcurſuum.

Magister

Facultas


Reverendiſſimi & Ampliſſimi Domini D. Abbatis in Monte Sancto Andechs.

NOs QUIRINUS Dei Gratia Abbas Exempti Monaſterij in Monte Sancto Andechs Cong: SS. Angelorum Cuſtodum Bened. Bavaricæ: præſentium tenore, facultatem impertimur, ut Opuſculum, cui Titulus: TRIBUTA ENCOMIORUM, &c. antehac Italico idiomate conſcriptum, nunc à P. Udalrico Staudigl ejusdem Monaſterij, in linguam Latinam translatum, & denuò à deputatis noſtris Theologis reviſum, imprimatur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur. Quem in finem has Litteras, propriâ manu ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus, die 24 Julij 1696.

(L.S.)



Elias


DURABUNT

Elias Evangelicus.

PRO FESTO S. ANTONII de PADUA:

Surrexit Elias quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat. Eccl. 48.

TRIBUTUM PRIMUM.

Quantumcunque demùm emicuerint, & nobilitate & Majestate Theatra, quo cum docta olim aperiut Græcia, tum superba suscitavit Roma; longè tamen, multisque passibus cesserunt, palmámque concesserunt illis, quæ fideles Israëlitæ multories, ac facilè centum accasionibus repræsentaverunt. Tantùm nequivit cum fabulosis inventis unquam fingere prophana mendaxque Antiquitas, quod à Sacris Heroibus cum signis characteribusque sinceræ veritatis non sit expressum, & omninò superatum. Et quodnam, ut pressius loquamur, reperietur prototypon Moysi? qui seu fortè gloriosam occupet pennam ab ultimis umbrarum recessibus, fabricam evocat, ruinas, ac reparationem vastissimi mundi: seu decantatam portentis assumat Virgam, monstris inseminat planities, tenebris involvit firmamentum, teneritudinem conciliat rupibus, & ipsamet aquarum fluidita-

ditatem in diamantinos aggeres mirabiliter consolidat. Quodnam Iosuato ? qui nunquam alterius impugnat gladium quin expugnet & commutet in Sceptrum; à numero conflictuum, numerum init victoriarum: & non contentus, à plus quàm triginta cæsis Regibus opima consecutum fuisse spolia, præcipuos in cælo planetas, obligat ad obedientiam, & præstandum suis imperijs obsequium. Quodnam Davidi ? qui nudâ, seu si mavis, armatâ quidem, sed non alia re, quam se dundaxat, ipsa manu, furibundos suffocavit, leones rotatâ in girum fundâ, fudit superbum, fatoque dedit Gigantem; cum jactu lapidis sibimet regni stabilivit fundamenta, & cum emissæ cursu lanceæ ab inimicis numero octingentis, stupendam obtinuit Victoriam. Et ut centum taceantur alij; quis Magni gloriam attinget Eliæ ? qui in hominis præcordiis, circumtulit leonis, tenuit in linguâ suâ moderatrices cœli & claves & habenas; condemnavit ad exilium trium annorum, & nubes, & rorem, & pluvias; devoratricia stitit ex aëre incendia; manus ligavit morti; & functis fato corporibus, dissociatas denuo restituit animas. Quocirca de ipso Sapiens: *Amplificatus est Elias in mirabilibus. Et quis poterit similis gloriari?* Et Elias, nomine suo rem & omen adæquans reliquos inter sanctos Elios, sive Sol meruit reputari. Quin ipsa vox, Elias! *Deus Dominus vertitur*: ut adeo naturâ videri poterit, homo; in imagine verò, DEUS.

Cæterùm si ex illis, quos Sacræ paginæ nobis exhibent, & quidem magis excellentibus Heroibus, seligere deberem quandam Ideam illius ANTONII, cuius gloriæ pro comitibus individuis, lætos semper habent applausus, à magno non discederem Elia. ANTONIUS, similis Eliæ, sanctus fuit miraculorum, & miraculum Sanctorum; operator prodigiorum, Magnes mirabilium, expugnator calamitatum, arbiter Elementorum, mortis devictor, triumphator inferni, *Sol* sanctorum, & iconica imago DEI. Et tametsi quodlibet ennarratorum encomiorum sufficiens

præ-

præsenti meo discursui præbere posset argumentum; dicam tamen, quod, si de Elia referatur: *Surrexit Elias quasi, ignis, & verbum eius quasi facula ardebat*: ANTONIUS fuerit & per Sanctitatem totus ardens; & per Zelum honoris DEI, proximi in summo gradu lucens. Interim verò, dum hos inter ardores, velut stridens cicada, meæ vocis sustulero raucedinem, vos N. velut deargentati papiliones, tam devotionis, quàm silentij librate alas, ac elegantem hanc, luminosamque facem benevoli circumvolitate.

4. Solet plerumque contingere, ut cum virtutes, tum prærogativæ quoque personarum, supra reliquas eminentium, priusquam in hanc edantur lucem, rarioribus prænuntientur signis, & particularibus intimentur prodigijs. Destinantur nimirum hæc, ut inserviant, seu veluti Zephyri, qui Veris præcurrant adventum; seu velut amœni flores, qui fructuum virtuosorum spondeant ubertatem; seu veluti lucida aurora, quæ solis, jam jam orituri demonstrent excellentiam. Sic in Palaami scintillante stella, in Moysis ardente rubo, in candido Gedeonis vellere, in rorida Eliæ nube, Sanctissima Divini verbi Incarnatio fuit adumbrata. Sic futura Alberti, Carmelitæ præcellentia, in majori ex alba cera constante candela insinuabatur, quæ nimirum in actu prodeundi ex suæ genitricis sinu peregrinam diffundebat claritatem.

Matri S. Dominici, dum adhuc utero gestabat hunc S. Fœtum videbatur in somnis, habere se in sinu materno catellum portantem in ore facem, ac totum illustrare, accenderéque mundum. Iam verò AA. queis miraculis, quibusve prodigijs præventam fuisse, creditis, Eliæ Nativitatem? Tradit memoriæ S. Epiphanius, ipsius progenitoribus hanc memorabilem repræsentatam fuisse visionem: nempe, quod quædam Personæ puris nivibus affatim coopertæ, infantem è sinu matris abstraxerint, abstractum in cunis igneis collocaverint; collocatum, fasciis è flamma contextis involverint; involutum, nutrimentis ex igne constantibus nutriverint: quæ quidem ab ipsomet infante stupenda quadam erant avi-

ditate & acceptata, & deglutita. *Viri niveo amictu ornati, in fantem è maternis ulnis avellebant, eumque in igneis cunis reponebant* : Mirabile sanè Spectaculum! quod tenerrimus infans fuerit repositus, non in tepidi cuiusdam Lectuli morbiditate, sed in austero nivium rigore; quod homines amicti nivibus, vivi fuerint ministri ignis; quod ex flammis & ignibus longè meliùs, quàm Salamandræ & Piraustæ, quietis acceperit solatia, fascium involucra, & ciborum nutrimenta. Et verò, quis ex vobis AA. in hac exotica relatione nostrum non agnoscit præfiguratum Antonium? siqidem relicta nobili matre, posthabitis patrimonij proventibus Spretis quoque paternæ domûs delitiis ad Canonicos se se contulit Regulares, homines nimirum candidis nivibus coopertos, eum præcipuè in finem, ut eorundem exemplis, in divini amoris accenderetur ardore, inflammaretur incendio.

Masful. fol. 221.

4. Erat equidem tener adhuc adolescentulus, ætatem agebat fructuum adinstar vix bene conceptorum acerbam; sensuum tamen judicio, jam quasi plenè maturam. Etenim animadvertens, quod per venas juveniles, cum molesta quadam importunitate nescio quales impudicæ decurrerent scintillæ, iisdem in tempore sopiendis, cum tempestiva promptitudine ad D. Augustini confugit Nives. Ex iisdem dehinc candidis nivibus, quosdam quasi sibi confecit aggeres, quibus cum ignitæ sagittæ tum impuræ libidinis faces, aut retunderentur, aut omnino sopirentur. Vestijt hoc nivium candore membrorum suorum innocentiam, ut illorum intuitu, inviolatam animæ semper servaret integritatem. Et recordatus fortassis, quod & Angeli in S. Matthæo, & ipse DEUS in Daniele niveis apparuerint amicti vestibus cum similibus ipse se se voluit involvere tegumentis ut angelicas carni suæ lucraretur qualitates, & animæ divinas obtineret prærogativas.

Matth. c. 28.

5. Et sic noster Antonius similis Eliæ præservando semet illibatum â sensuum spurcitijs, ex lilijs virginitatis, lilijs sincerè niveis gloriosam spirituj contexuit coronam. Similis

Eliæ,

Eliæ, tyrannicas fugiens Iezabelis insidias, seu (quod idem est, ac dicere, concupiscentiæ illecebras) ac in Regiliosis deserti recessibus desideratam sibi reperiens securitatem. Similis Eliæ, dum sinon de villosis pellibus, saltem laneis, ac lineis, utrisque candidis, semet cooperit vestibus. Similis Eliæ, dum, velut iste geniali fruebatur requie sub umbra spinosi Iuniperi, Sacratisimæ Crucis, ut dicit Rupertus Abbas, expresso symbolo; ita Antonius in Canonia S. Crucis in Coimbra, ex lingno nostri Redemptoris pretiosum sibi conficiens rogum, velut amorosus phænix, in flammis divinæ charitatis dulcissimè deflagrans, & semet destruebat, & denuò renovabat.

6. Curiosum dubio procul; est Spectaculum, quod in semet exhibet ipso Mons Oethna. Siquidem & nives, & ignes, juratos aliàs, & nunquam cum invicem placabiles inimicos, mirabili quâdam conventione confœderat. Totus rubescit in ignibus, totus albescit in nivibus. Cum ignis fervidâ violentiâ, delitiosa nivis frigiditas, si dicere fas est, affectu quodam, calidissimo maritatur. Et nives quantumvis humidæ, ac frigidæ, inviolatas tamen voraci Elemento conservant amicitiæ Leges. Vnde nec ignis copiâ nivium extinguitur, nec nives, contactu flammarum liquefiunt, aut nigredine deturpantur. Quin potius propter mutuam, quam invicem sibi præbent, assistentiam, quovis tempore, & humeri eiusdem, quemadmodum Libanj, nivium candore deargentantur, & viscera velut Vesuvij inextinquibilibus incendijs possidentur. Hinc Solinus, *mixtas ignibus nives profert*, Et Claudianus.

Scit nivibus servare Fidem pariterque favillis.

Et Modernus quidam: in sinu fovet ignem & foris nivis obtendit pallium.

7. Et hæc quæ modo retulimus naturæ miracula num in nostro reperiantur Antonio iudicium penes vos esto N. N. sanè, quemadmodum animatus œthna totus erat niveus, totus erat igneus. Nivium habituj, animæ iungebat fervorem; æqualter & candidus, propter mundissimæ vitæ puritatem;

& rubicundus, propter intensissimum Spiritûs ardorem. Vbi multi quoque, eundem conspicientes, iurassent, quendam
Matth. 28. n. 3. esse Paradisi Angelum; quandoquidem, *vestimentum eius sicut nix*. Facta verò reflexione supra cordis fervidum amorem, qui per ipsum vultum emicabat; *quippe aspectus eius*
Psal. 128. *sicut fulgur*; quin in discursu quoque, de quo verificabatur: *ignitum eloquium tuum vehementer*; asseverassent: humanis spoliis vestitum, aut quendam Seravinum, aut novæ legis Eliam, de quo replicarj posset: *Surrexit quasi ignis, & verbum eius, quasi facula ardebat.*

8. Et verò vivus hic ignis, per undecim integros annos subtus Ordinis Canonicj nivibus innutritus, argumenta deinceps sumpsit subtus Ordinis Seraphici cineribus, penitus admiranda. Contigit, ut per Coimbram quinque transirent
Rom. 12. S. Franciscj discipuli: quos Canonicj Regulares, *hospitalitatem sectantes*, cum exquisitissima susceperunt tractaruntque comitate, tangente Antonium sorte ut ijsdem velut affectuosus hospes inserviret. Paucis abhinc diebus, animadvertens, optimos Religiosos, tanquam Evangelicos Ministros in Africam profectos, cum Martyrij palmis inde rediisse: charitas ipsius flammam concepit, & exarsit in immensum. Dicique poterat cum S. Possidonio, sanctos hos Martyres Antonij præcordiis evasisse, *tanquam carbones vastatores*. Etenim velut ignis in officina ferraria, guttulis aquarum inspersus continuam sumit intensionem; pariter amorosus Antonij focus, sanguineo stillicidio, quod de Sacris illis tumbis rorabat, humectatus, in immane progressus est incrementum. Et colligens ipse pulverem non de ludis Olympicis prophanum; sed de semitis Ecclesiasticis Seraphicum, ad Sacros anhelavit conflictus, & sanguinosas suspirabat victorias. O! felices, ingemuit secum, & omninò fortunatos! quibus suavissima datum sorte est, fidei suæ candorem asserere per sanguinis purpuram! Eccur concessum mihi non est, quemadmodum ipsis inserviendo, imitatus sum Abrahami hospitalitatem, ita nunc eorundem intuendo triumphales coronas Isaci,

Isaci æmulari fortitudinem vel conscendendo fatalem aliquam lignorum struem vel gladij aciei inclinando collum vel quomodocunque cadendo, fortunatam meo Creatori componi in victimam? Heu me! cur hæc mea membra, Lini adinstar, quo vestiuntur propter Christi honorem, violenter è terra non evelluntur, cur aquarum vorticibus non submerguntur; cur virgarum ictibus non triturantur! ferreis pectinibus non comminuuntur, publicis potius patibulis, quam colo non suspenduntur; & rotarum, non fusi vertiginibus circumacta, ad centum, milleque cruciatus non condemnantur? Sanctissime Salvator! quandoquidem sub titulo S. Crucis per tot jam annos militavi! permitte O benignissime! ut supra truncum cuiusdam crucis meorum ego consumam dierum periodum. Littora Africana! terra licet, & immane quantùm formidabilia, mihi nihil ominus theatrum præbebitis suavissimæ satisfactionis. Lictores, carnifices, ministri Iustitiæ, tortores, supplicii! exardescite, omnes, omnes vos provoco, & extremam, quam potestis, in me vim ac feritatem exercete: ut habeat, quo probetur fides mea, Lydium Lapidem. Equulei, rotæ, gladij, secures, incendia facite, vos precor impetum! furite, sævite, sed contra me, velut unicam furoris vestri metam! ut ex his imis mundi vanitatibus exemptus, transferar in cœlum, & æternis particeps reddar gaudijs. Machometi, Turcæ, Mauri, & quot quot estis, cæcitate pressi infideles, ad vos nunc accingor, ad vos modo venio, & vel, ut ad amplectendam Christianæ veritatis lucem vobis intellectum accomodem, & ad amandum Dominum meum Crucifixum, affectum inflammem; vel ut inter vos hosce meos oculos frustratus occludam, & ultimis Mortis squaloribus extinctus succumbam.

9. Et hoc fermè modo secum loquebatur ANTONIUS: atque quemadmodum ille veteris Legis Elias exercituum obviam ibat tumultibus, & tam armorum, quàm armatorum sponte occurrebat terroribus: ita noster quoque AN-

TO-

tonius secum statuebat Barbarorum se opponere frontibus, Tyrannorum ostendere furoribus, & suppliciorum subjicere cruciatibus. Quamobrem Franciscano se se circumdedit cilicio, velut optimè indurata thorace; nodoso latus accinxit fune, veluti cingulo militari; pedes exuit calceis, illum in finem, vel ut minus impeditus, semitam decurreret Martyrij: vel ut instar sacerdotis Aronici dispositus, nudis pedibus, DEO semet præpararet victimam; offerret holocaustum. Unde sublatis anchoris, ut è regnis Hispaniarum semet conferret in Africam, Oceanum transfretabat amaritudinis, ut è venis suis integrum mare profunderet sanguinis. Navigabat ANTONIUS; sed infelicibus avibus, contrarijs saltem, quem tum maximè fovebat, suis desiderijs: quandoquidem & à gravissima infirmitate viribus prostratus, & à contrarijs ventis ad littora Siciliæ repulsus, affectum quidem habuit & meritum, non effectum & cruciatum Martyrij.

10. Et quid? cùm velut Elias, mortem, tam à se desideratam, obire non liceat, quid faciet desolatus Antonius? quid? ad similitudinem Eliæ, in nemeroso montis recessu absconditus, ad incruentum semet condemnabat Martyrium: ex cavernis illis sibi pœnales efficiens carceres, ex saltuum lignis cruciatuum instrumenta, aut melius dicendo, escam opportunam ad fomentanda cordis sui sacra incendia. Ubi deinceps similis Ioanni Baptistæ, paucis pariter ac vilibus herbulis pastus, & aquarum saliente potatus, brevem sumebat & tormentosam requiem: similis S. Paulo, abstractus à terra, & igneis extaticæ contemplationis alis sursum abreptus, suam duntaxat in cælis habebat, conversationem: similis S. Iacobo, protensa precum prolixitate, genibus suis callosam camelorum contrahebat duritiem: similis S. Pasilio, vivendo puri Spiritûs adinstar inediæ rigiditate ad tantam se se deduxit debilitatem, ut genubus continuò vacillans, difficulter pedibus incederet. Verùm languentibus corporis viribus, Spiritûs intendebatur robur. Inclusus in

ipsius

ipsius sinu focus, velut in globo ignivomo, quantò magis in illius antri angustijs erat coarctatus, tantò magis evadebat vigorosus. In Specûs illius umbra, plus, quàm aliàs, aut alibi internâ fruebatur illustratione; & abstractus ab hominum commercio, perinde dispositus reddebatur, ad sincerè delitiandum in amabilissimæ Deitatis intuitu.

11. Et id posthac etiam evenit, O N. quippe divinum Patris verbum, sub venusti splendidissimisque radijs circumdati Infantis forma, gemmeum Antonij collo formavit monile; mutuis vicissim amplexibus impeditum, & exquisitissimis blanditijs dissuaviatum. Pendebat ab Antonij sinu totius universi Thesaurus: & à felicissimo, ille immensus constringitur, qui aliàs nuspiam, nec ab ipsa cælorum vastitate capitur. Natat in quodam delitiarum pelago noster Antonius, & quamvis adhuc viator conditione, beata tamen sempiternaque jam aliqualiter fruitur felicitate. Glorietur duntaxat Elias, quod supra montem Tabor, in transfigurati splendentisque verbj vultu, suorum fuerit consolatus oculorum pupillas; ubi noster Antonius cum privilegio Longè majoris, delectabiliter intuetur vicinum, suscipit in ulnas, stringit ad pectus, & veluti Virginea Mater, propria brachia collo ipsius adaptat in dulcem amorosamque catenam. centum interea sacris illis genis imprimens oscula milleque calidissimas dissuaviationes. Et verò, quis ex vobis, tam digno spectaculo delectatus, non dicet, Antonium aurej fuisse velleris Equitem, dum divinus Agnellus ab ipsius dependebat pectore; purissimj filij florem, in cuius sinu apis divina delitiosas trahebat moras: formatum ex auro probatissimo thronum, qui superno Salomoni placidum præparabat Solium: nubem argenteam; quæ velut ad currum invitabat huius universi Principem: Solium vivaciter igneum, supra quod infinita sese detinebat Majestas, cùm, *Tronus eius, flamma ignis*. Verbo, quendam Eliam, aut si malumus dicere, *Elios*: Mysticum Solem, ex quo gloriosissimus Deus sibi fecit tentorium: *In sole posuit tabernaculum suum.* Dan. c. 7. n. 9. Psal. 18. v. 6.

B 12. Age-

12. Agedum magne Antoni! quando nunc ipsam astringis pectori Sapientiam; quando divinus ille ignis, qui illuminat, non comburit, in cælum te mutat empyreum! quando divenisti Elias, divenisti Elios, sol Sanctorum, circumi, vel peragra terrarum orbem cum fervore apostolico, ut eundem illustres, in amore versus divinum infantem inflammes; in affectu erga Crucifixum Redemptorem, imbuas renoves & consolides.

13. Currit Antonius emissi fulminis adinstar, vel cuiusdam potiùs Seraphini; currit inquam, per provincias, & regna; cumque ardentibus, corde & linqua, similis antiquo ELIÆ, ubicunque pertransit, *amplificatus est in mirabilibus suis.* Nactus est Elias ab urbe patria, in qua natus, erat, Thesbe, cognomen Thesbita; quod interpretum opinione idem sonat, ac: *convertens & captivans*: cognomen & titulum tanto viro dignissimum: quippe qui, & perversos convertit, & vitijs irretitos in amore virtutis efficaciter captivavit. Pariter ANTONIUS noster, & Elias fuit, & Thesbites. Quoniam tanquam ignis semper *convertens*, & velut flamma dulciter evasit *captivans.* Habet in fornacibus hanc efficaciam ignis, ut vilem luteamque terræ massam, (lateres intelligo, qui paulò ante nihil erant aliud, quàm ipsamet fragilitas & miseria) posthac activus ignis calor, taliter induret ut æris fermè ferrìque firmitatem acquirant. Hinc cum nobili quadam prosopopeiâ, fuerunt ab ingenioso quodam introducti dicere: *in æs vertimur.* Sic etiam flammæ in Lacunis venetis jucundum quandoque excitant spectaculum. Excitatæ namque nocturno tempore in parvis naviculis, flammæ, scintillante, quem spargunt splendore, pisces nescio qua jucunditate replent, præsertim mugiles: qui turmatim adnatantes, circa lumen festivè tripudiant, è salsis humoribus capita lætantes attollunt, circumquaque sese girantes exiliunt, quin rectà versus accensam flammam in ipsam quoque naviculam insiliunt, sicque studiosis piscatoribus optatam prædam efficiunt. Quibus posthac quit supra scriptum: *Ad Lucem*

veni-

veniunt. Et quid porrò traho moras, O Antoni, O Magne Thesbita! tu namque, tu ipse es, qui cum Sacro igne & perversos convertisti, & tuis flammis in stygio abysso carceratos, captivasti. Operâ tuâ, tuoque subsidio, & maximè fragiles peccatores generosam in sanctis propositis constantiam, & in pelago voluptatum turpiter submersi, virtutum tuarum mirabiliter secuti sunt Lumen.

14. Ignis ille, quem è cælo vocavit, & obtinuit Elias, cum spirituali quadam activitate, non solùm holocausti devoravit carnes, & ligna in sacram pyram ordinatè disposita, verùm *& lapidis, pulverem quoque & aquam, quæ erat in aqua ductu.* Erat equidem ignis, sed quasi in flammarum suarum levitate seu mallei, seu lapidis mollaris tenuisset pondus, solidarum petrarum contrivit rigiditatem, & in minutissimum dissolvit pulverem. Erat ignis, sed quasi judicij fuisset capax & peritus Artifex, constipatos aperuit poros vicinorum camporum, & inde evaporare coëgit vitiosorum humorum malignitatem. Erat ignis, sed illius fortis & conditionis, ut, quasi aquæ, circumquaque fluctuantes, pingues fuissent olivæ liquores, non solùm in eorum medio non fuerit extinctus, sed in ipsa urendi facultate fortificatus: Vincens huius fluidi, devinciensque Elementi frigiditatem, ut immensi sui fervoris subiret participationem, Cuius facti consideratione S. Ambrosius in hosce prorumpit affectus: *Veniat in Eclesiam Verbum Dei, & fiat ignis consumens, devoretque stipulas, fænum, pulverem, & quid quid est seculare, grave plumbum iniquitatis liquefaciet, ferreum peccati rigorem molliat &c.* dicere voluit: mitte, ô Magne Deus Ecclesiæ tuæ ministrum Evangelicum, qui comburat stipulas paleasque mundanæ vanitatis, nigrum dissolvat iniquitatis plumbum, emolliat purificetque rigidum ac eruginosum peccati ferrum. Sed eccum sapientissime præsul, secundata tua vota, quietata desideria, in persona Antonij. Concionibus Antonij sæculi deseritur vanitas, & vicissim Christianarum

3. Reg. c. 18. n. 38.

virtutum introducitur cultura; prophana vacuantur Theatra, & Sacra viciſſim frequentantur templa: fugiuntur viæ perditionis, & econtra ſemitæ frequentantur ſalutis. Concionibus Antonij infamia Lupanaria commutantur in caſta ovilia; fœtentes cloacæ tranſeunt in odora pomaria; & fuliginoſi carbones Inferni, ab ipſo reaccenſi, pretioſi evadunt carbunculi, in firmamento reponendi. Concionibus ANTONII, qui flammas in ſua circumferebat lingua, ſuperbi Leones, humiliatas ipſius pedibus inclinant cervices; Hereticæ noctuæ tenebrarum amatrices, aquilæ fiunt veræ lucis ſpeculatrices, ferrum ipſum, vindicativorum aſylum, in aurum mutatur, ſeu ſinceræ charitatis teneritudinem, denique quavis turpitudine contaminati peccatores, per oculorum canales dertillant lacrymas compunctionis, & ſanctæ in Anima regenerationis cooperatrices undas.

15. Et quoniam ſacra illa ligna, *quaſi facula ardebat*: dicite, quod fuerit quaſi facula mulieris Evangelicæ, quarum repeſta denuò fuit drachma, miſerè perdita: quaſi facula Promethei, quæ lutoſis peccatorum molibus vitalem infundebat ſpiritum: quaſi facula turritæ phari, quæ naufragantes in errorum tempeſtatibus ad gratiæ conducebat portum: quaſi facula militaris, quæ concuſſa chriſtianam invitabat militiam, ad induenda lucis arma, & indicenda vitiis generoſa certamina: quaſi facula Hymenæi, quæ caſtos verſus cæleſtem ſponſum, & innocentes excitabat affectus: quaſi facula exodi, quæ conſtrictas in captivitate Pharaonis & Æggpti, ſeu Dæmonij & mundi, animas educebat ad filiorum Dei libertatem, & glorioſam æterni Regni beatitudinem.

16. Et ſi faci fuit ſupra ſcriptum, *lucet & ardet*: dicite, quod, ardori devotionis, & flammæ Zeli, quibus ebulliebat ANTONIUS, optimè correſponderit lux commiſerationis, & miraculoſæ beneficentiæ. Huic ſacræ luci, vel ut melius dicam, huic novo Eliæ nunquam defuit oleum medi-

medicinale sanitatis, oleum lætitiæ, oleum consolationis, quod ab ipso suis devotis liberaliter fuerat distributum. Ipsius operâ cadentes in aëre suspendebantur pluviæ, bullientium ahenorum reprimebantur ardores, inveteratæ membrorum erigebantur curvaturæ, copiosè repullulabant crudeliter evulsi crines; fugiebant ab ægrotis infirmitates & ad vitam revocabantur fatis & vitæ defuncti. Ipsius operâ despoticæ fuerunt repressæ Tyrannorum furiæ, subsannatæ Dæmoniorum malignæ illusiones, in pænitentibus extinctæ cum lachrymis turpissimi caracteres, & excitati è vitiorum lethargo, stertentes peccatores. Porrò ANTONIUS in tentato quodam solâ sua veste venereas extinxit suggestiones, halitûs sui calore scandalosam frigiditatem à vacillante dimovit Novitio: cum attactu sui funis, nodosis stultitiæ vinculis exolvit phreneticum: cum facundiæ promptidutine periclitantem sui Patris sustinuit vitam, & similis Eliæ, aliis mille modis & rationibus: *Amplificatus est in mirabilibus suis.*

17. Sed enim fax nostra, plus luminosa, quàm unquam aliàs, apparuit in extremis. Assumptus fuit Elias Angelorum & assistentia & ministerio, qui sub schemate igneorum equorum copiosissimam undique spargebant lucem, assumptus inquam ita fuit, & porro translatus in cælum, Et Antonius cùm Reginæ, tum Regis etiam Angelorum ac Domini præsentiâ recreatus, vale dicit, ac sumit à mortalibus, & ad gloriam sublevatur. Instante iam iam ultimæ horæ periodo, inter ipsos mortis squalores, visus adhuc fuit cælestem, aut saltem non ordinariam è vultu spirare jucunditatem. Requisitus propterea, & dicere rogatus, quid videret, respondit: Mariam quæ me defendit, & Christum, qui me consolatur. O egregium! O eximium! O plenum gloriâ spectaculum! Maria, velut advocata ipsi assistit, Christus velut Salvator ipsum securum esse iubet. Gratiæ Mater ipsum confortat, misericordiæ fons ipsum

restaurat. Virgo ipsi commodat scutum, Christus accommodat coronam. Virgo reficit cum Uberibus, Christus ipsum abscondit in vulnerum plagis. Propitia maris stella ipsum dirigit ad portum, Porta salutis ad regnum aperit ingressum. Sub felici Castorum istorum aspectu è mundi tempestatibus exit fortunatus Talassiarcha. Assistentibus sole divino, & mystica luna, terminat finale certamen optimus hic Iosue, & dum Sacratissima virgo appellata à Ioanne Geometra, *Fax inextincta* Divinus quoque ipsius filius, qui est *Lux Mundi.* Fundunt circumquaque, sparguntque gloriæ luminosa præludia; interim ipse adinstar Novi Eliæ sublatus ab igneis equis, sui nempe ferventis Zeli, atque ardentis charitatis, in cæleste feliciter evolat Empyreum.

18. Et quid modo nobis, in hac miseriarum valle relictis, quid cogitandum, quidque faciendum? melius sanè nihil, quàm replicare cum Elisæo Propheta: *Pater mi, Pater mi, currus Israël & auriga eius.* Sancte ANTONI Pater benignissime: quandoquidem proficisceris, sempiternam pro Heroicis tuis virtutibus recepturus mercedem, impetra, supplicamus humillimè, ut quorsum ipse nunc ascendis, olim etiam deducantur, quotquot sunt, devoti tibi filij. Currus es: ah! porta sustentaque deplorandam nostræ debilitatis miseriam. Es etiam auriga: refræna ergò deviantes animorum nostorum motus, & impatientes disciplinæ passiones. Es fax: proinde caliginosam huius vitæ noctem tantisper tempera, tenebras mitiga, viam ad æternum capitolium demonstra, & ingressum facilita. Si fuerit difficile, vel omninò impossibile, ut tuæ doctrinæ, tuorumque miraculorum corruscemus fulgoribus, exora saltem, & propitius impetra, ut subinde quasdam emittamus scintillas, puritatis in vita, mortificationis in sensu, & fervoris in spiritu: ut directione tui sacri luminis, ad luminum Patrem accessus misericorditer concedatur.

4. Reg. c. 2. n. 12.

Vos

Vos interim N. veniam date benevoli, si tam magnæ magni ANTONII prærogativæ, dotes insignes, & ornamenta, tam ieiunè tam vulgariter tam absque ullis eloquentiæ luminibus â me fuerunt descripta. Et si tam dignæ, tamque eleganter splendenti faci, aliud conferre nihil potui, quàm frigiditatem, cogitate, me tam in habitu, quàm capitis canitie copiosam circumferre nivem.

Prudens Stultitia.

PRO FESTO S. ROCHI CONFESSORIS.

TRIBVTVM SECVNDVM.

INnumerabiles propemodum sunt, queîs continuò misera nostra premitur humanitas, ærumnæ, calamitates, & infortunia, à qua tamen quandoque penitus opprimitur, stultitia est. Si nobilior humani compositi pars, mens est, & hæc à nescio quo pestilentiæ veneno læditur, & inficitur, reliquæ non minùs animæ potentiæ, plus quàm credi potest, & enervantur, & infirmantur. Ut plurimum memoria, caliginosis velaminibus involuta, deperditur, intellectus nebulis obductus, obiecta sibi proposita, & malè distinguit, voluntas, potentia cæca, præceps agitur in extrema, vel repellendo, à quibus juvaretur, vel pro-

prosequendo, à quibus præiudicium patitur & offenditur. Atque quod plus ponderandum in oppressis ab isto malo, est, quod, cùm & sensu careant, & iudicio, in phreneticas agantur furias, terroribus impleant vicinitates, aut in alios rapiantur excessus: unde deinceps pueris præbent risum, & plebi fiunt ludibrium.

2. Atque id, quod stultis contingit defectu naturæ, accidit servis DEI sceleratorum malignitate. Hi nimirum militando sub vitiorum insigniis, sinistrè accipiunt sanas illorum, atque Sanctas operationes, onerando vituperijs illas virtutes, quas nec sciunt, nec volunt imitari. Vnde voluntaria paupertas ab ipsis appellatur delirium, maceratio carnis, insipientia, ieiuniorum extenuatio, insania, opus expers consilij, fatuumque, dignitatum, honorum, divitiarumque contemptus. *Omne enim*, disserit S. Georgius Papa, *quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur! & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat.* Quo sensu tam scelerati, relati à Salomone loquendo de iustis: *Vitam illorum æstimabamus insaniam*! quàm ipsemet Apostolus, de semet ipso loquens: *nos stulti propter Christum.*

In c. 12. Job.

Sap. 5. 4.

1. Cor. 4. 10.

3. Verùm enimverò, quidquid demùm velit, oggranniat corruptum hoc sæculum, suis indulgeat malignis indiciis & opinionum pravitatibus, omne tamen extra dubium positum est, virtutem sanctorum, quam, uti iam dixi, cœca mundi perversitas, stultitiam reputat, in DEI conspectu supremam esse sapientiam! atque id quod terrenum hoc sæculum prosequitur contemptu, à supremo Monarcha eatenùs assumi, ut mundanam sapientiam, reprimat, infamet, vituperet, & confundat. Quod confirmat Apostolus. *Quod stultum est DEI, sapientia est hominibus, & quæ stulta sunt mundi eligit DEUS, ut confundat sapientes.* Et quis, quòd id in effectu fuerit, à S. Rocho practicatum, in eiusdem persona, & operibus non animad

1. Cor 1. 25. 27.

madvertit ? Mundus sanè, vel qui de mundo est, exquisitam reputaret stultitiam, copiosis, prout ipse fecit, herbam porrigere divitiis, & spontaneæ paupertatis adhærere mendicitati, abire à natalis soli commoditatibus, & vagis alienas terras, circumire peregrinationibus: principatûs relinquere delitias, & cum perpetuo vitæ discrimine, infectas inter commorari pestilentiâ turbas. Verùm contrariâ penitus ego trahor sententiâ, & illius sum opinionis, ex operibus hisce, raram elucere, Christianàmque prudentiam. Idque pro meo præsentis disscursus deserviet argumento: curioso non minus, quàm pro gloria S. Rochi admodum accomodo, dumodo benevolas mihi fueritis aures præbituri.

4. Sed enim, antequam ad S. Rochi memorabilium operum ponderationem accingar, obiter noto quod patriam habuerit Galliam Narbonensem: Natales ipsius omnino fuerunt clarissimi. Quippe corpusculum ipsius, utero materno recens egressum rubrâ visum fuit cruce consignatum. Rarum prodigium! non absimili deinceps successu denotandum. At verò, si patrem habuit Ioannem, & Ioannes idem significat, ac gratiam, quid est, quod crucis secum defert signum, extremæ infelicitatis characterem? Si Matre nascitur, nominata Libera, cur duro premitur iugo crucis, & mirabilem præfert conditionem Servitutis? Anne, priusquam tenerâ solvere possit linguam, in vocis articulationem: priusquam aliquod aggrediatur opus, aut ullius specimen edat, operationis, comparere necessum habet, signatus cum illâ cruce, quæ Iudæis evadit Scandalum, gentibus videtur stultiæ delirium? *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* 1. Cor. 1. 23. Verùm bono simus animo, N. Etenim sicuti dixi: *quod stultum est DEI, sapientia est hominibus.* 1. Cor. 1. c. n. 25. Impressa tenero ROCHI corpusculo crux certum erat præsagium infortuniorum non minus, quàm exaltationis. Ab usque materno ventre crucem, & in Cruce certum habuit æternæ vitæ

prognosticum. Aliàs grandiori, & viribus magis constanti ætati reservatum est, assumere, & portare crucem! At Rochus raro privilegio ad hæc promotus est, ut virili fortitudine eandem ab ipsis fasciis deportaret. Iactaverit olim se Regis Antiochi progenies, quod effigiatum ab ipsa natura super coxas gestaret anchoram: fuerit non minus gloriata nobilis quædam Thebis familia, quod haberet signata membra sagittæ imagine: pompã quoque fecerit Octavianus Augustus, quod maculæ quas in corpore dispersas habebat, nonnullam Ursæ cælestis referrent effigiem: At felicior longè noster fuit Rochus, quippe qui in signatâ super cutem cruce secum defert anchoram securissimæ spei, instrumentum Christianarum victoriarum, felicem denique cynosuram, quæ in medio quodam gravissimorum laborum mari dirigebatur ad portum æternæ gloriæ, & ad metam beatæ respirationis. Et sic tener noster infantulus, quando necdum, aut malè saltem se poterat regere, ad instar animatæ Calvariæ iam poterat gerere crucis jugum: S. Lucæ Evangelistæ non absimilis, qui *Crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro Christi amore* portabat. Placuit nobili cuidam ingenio, videnti, Christi infantis imaginem, figuratam in actu sustinentis intra brachia parvulam crucem ita loquentem introducere:

Cùm fuero major majorem ut tollere possim,
Hanc parvam à teneris tollere disco crucem.

Egregia sanè Rhetorica, nostro quoque Rocho commodissimè applicanda! quippe quem eò divina destinavit providentia, ut à suis usque natalibus, secum parvæ crucis deferret effigiem, quatenus annorum deinceps progressu, ad supportandum vituperium, amaritudinem, pœnalitatem, & stultitiam eiusdem (ita solent iudicare gentiles, ita quoque discurrere) generosâ se se disceret animositate accingere.

Et verò primam eidem fabricavit in anima crucem: obi-

obitus charissimorum parentûm, eò utique acerbiùs & acutiùs affligentem, quod tum duodecim annorum vix dum attigerit ætatem. Et quem hic nostro Rocho fuisse putatis animum, N? quid ipsum imaginamini fecisse? destitutus hominum auxilio, ad DEI confugit tutelam! & defixus in Crucifixo Redemptore, eiusdem in se ipso cum toto spiritûs nisu, studuit elaborare conformitatem: affligendo tenera sua membra exquisito mortificationum rigore, & pari pænitentiarum asperitate. *Siquidem incredibili* severitate, prout pennæ referunt historicæ, *bellum suo corpori indixit.* atque hæc, cum ita fuerint, quis ex vobis Rochum non dicet delirio dementatum? siquidem si charitas aut primæ charitatis leges nos obligant, ut nostrûm bonam habeamus curam: *Nemo enim vestrùm carnem suam aliquando odio habuit.* quo modo, ceu membrorum suorum esset inimicus, eadem hostiliter impetit, ciliciis incingit, & varijs tormentis excruciat. Si corpora nostra, S. Pauli sententiâ, templa sunt DEI, quæ Spiritus Sanctus inhabitat: ecur ipse disciplinis idem furiosè discindit, ieiuniorum abstinentiâ barbarè extenuat? si benignissimus DEUS undique providet, & ad manus ubique præbet, & flores & herbas, & liquores, & succos, quibus membrorum infirmitas restaurari possit & persanari, quisquamne negabit Rochum desipere, quando proprium ipse corpus mechanica proportione ritè conformatum, temperamentum spirituosè vividum, viribus robustum, &c. incredibili severitate castigat, durissimo rigore discruciat, & hostilissimis afflictionibus è statu sanitatis spontè deijcit.

Lippelo: 16. Aug.

Ephes. 5. n. 29.

5. Cæterùm si tanta cum hostilitate proprium tractavit corpus, & in corpore membra, quanto putamus majori cum Zelo contempsisse bona, quæ vocamus externa: divitias, commoditates, recreationes, honorum dignitatumque gradus? Factus sui juris, absolutum se se demonstravit Dominum. Quo modo? dispensando stupen-

da cum libertate, copiosum quod habuit, pauperibus patrimonium, & amplissimum patruo tradendo principatum. Sed quid? N. nonne potuit hæc videri stultitia, nonne & iudicari? potuit sanè, sed Sancta, sed magna cum prudentia gubernata. Etenim simul magna cum diligentia suum extenuabat corpus, ut minoris evaderet ponderis Spiritui, austeris idem affligebat macerationibus, ut desideratam assecutus puritatem, capax redderetur cœlestium gaudiorum: amabat idipsum animitùs, perinde tamen etiam Sancto habebat odio? quàm maximè reijciendo honores: utpote qui, si quem habent splendorem, qui luceat; annexam etiam habent voracitatem, quæ torqueat. Pedibus suis subijciebat palatia, ditiones, castella, principatum: ut super ijsdem velut gradibus incedens rectà, fortiterque graderetur ad Empyreum. Ut adeo noster prudenter insanus dicere potuerit cum SS. Apostolis,

Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*: partim illis, à quibus erat reprehensus, ut improvidus, incautus, inconsultus, stolidus aut mente captus, veraciter cum S. Paulo reponere,

1. Cor. 4 v. 10. *Nos stulti propter Christum.*

6. Sanè si Democriti consideremus calamum, aut scriptorium quo stultos depingit, penicillum, fateri oportet, Rochum stulti prætulisse imaginem: Dicit is, quòd fatui, tametsi ducant vitam, nullam tamen vitæ gustent delectationem: quòd posthabitis præsentibus, duntaxat aspirent ad absentia: quod quæcunque vident, omnia reprobent. *Stulti vivunt* (verba sunt Democriti) *non delectati Vitâ, desiderant absentia: præsentia negligunt. Nihil approbant per totam vitam.* Adiungit Epicurus. *Inter cætera ma-*

Thrat. 5. 351. *la hæc quoque habere stultitiam, quod semper vivere incipiat.* Pariter Rochus, omnem huius vitæ neglexit delectationem, quoniàm totum amorem transtulit in CHristum: omnibus viribus ad alterius aspirabat vitæ dulcedinem! hinc omnimodam huius abominabatur vanitatem. Quælibet ipsi displice-

plicebant mundana ; hinc nullà super præterita merita, facta reflexione , de die in diem renovatus Spiritu , replicabat cum Psalte regio. *Et dixi, nunc cæpi.* Unde , ubi antiqui Philosophi Rochum oneràssent titulo fatui , Christiana pietas , in cælesti schola edocta , respondisset , quod ipse, velut sacer Ulysses , sub apparentia stulti, exquisità prudentià fuerit plenus. *Psal. 76. n. 11.*

7. Tradunt Historici Græci , Psyllos , Affricæ populos , quandoque ventis australibus , à quibus graviùs offendebantur , tam vehementer , iratos , ut subin arma sumpserint, ventis hostiliter occurrerint , cæsim punctimque cum iisdem digladiati fuerint. Quâ sanè difficulter Major excogitari poterit fatuitas. Quippe , quid stultius, quàm armis impetere procellarum Spiritum ? Velle sagittis tansfigere aut collectas exerere vires contra Elementum quod aut sagittas facilè reiecisset contra sagittarios, aut uno solo flatu vicinas areas turbando , agitandoque paucis momentis adversarios suos & suffocasset & sepeliisset ? præsertim , cum asserat sapiens , notam stultitiæ effugere non posse , *Qui apprehendit umbram , & presequitur ventos.* Et tamen hanc Psyllorum æmulando desipientiam magnam S. Rochus promeruit prudentiæ Laudem. Perspexerat enim quàm optimè , quod quemadmodum vela venti ita pectus humanum ambitionis fastus inflet & in enormissimos errorum scopulos adurgeat : quod terrenarum concupiscentiarum ardor , velut Auster apprimè calidus animam aduret , & molestet : quod mundanarum passionum ferociæ illicitorum desideriorum vehementia , rerúmque passim transitoriarum vanitas cor humanum adinstar impetuosorum turbinum impugnet & concutiat. Et hinc assumptis armis lucis munitusque & fidej , & spei , & Charitatis galeâ , contra huiusmodi ventos bellum generosè suscepit , & non minus fortiter egit. Ad Arma dicebat secum , ad arma Roche ! erigere ! & quandoquidem , fatente Iobo , *Eccl. 34. 2.*

Job. 7. 7. *ventus est vita mea* : eatenùs gloriosè occupemur, ut jeiuniorum rigore, macerationum asperitate, pœnitentiarum continuatione eandem adoriamur, & Posthac subiugatam, DEI obsequiis adaptemus. Tecum, sæculi felitas! vobiscum turbines vertiginosi, bellica mihi res est, satius mihi longè, cum, & in IESU meo languoribus affligi, quam vestris blanditiis emolliri. Et vos abominor, totis viribus, vos detestor, vos reijcio, Patrimonia, amplissimi proventus, latè porrecti fundi, & vicissim Christi pauperibus vos spontè consigno & consecro. Neque vestrûm ulla mihi cura, legitimâ hæreditate mihi debiti principatus, honores & præeminentiæ! quin vobis penitus renuntio; cumque cœlesti dispositione crux in meo fuerit collocata pectore! ultroneè pauper, inops & miserabilis, Crucifixi mei Redemptoris posthac sequar vistigia.

8. Referant modò Sacræ paginæ, Davidem, dum animadvertebat, in Aula Regis Achis, in qua forte erat, ac inter aulicorum insidias, se vitamque suam periclitari, insaniam simulasse, ac quasi phanatico furore fuisset deprehensus, portæ insiliisse: *impingebat in ostia portæ*: sicque vitam incolumem conservasse: nisi majus, simile quid fecit etiam S. Rochus, anxius de salute æternâ, sapienter insanus, superba calcibus impetivit palatia contra murata calistravit castella, pedibus ipsos protrivit principatus.

1. Reg. 21.

9. Magnus ille Persarum Rex, Cyrus, ut ut aliàs exquisitæ fuerit Princeps prudentiæ, solemni tamen promeruit notari dementiâ, quando contra fluvij Gindi currentes insurrexit aquas. Cùm enim secum statuisset, famâ celebrem occupare Babiloniam, seque propterea itineri dedisset, perventus ad præfati fluvij ripas, numerosum cæ-

pit

pit traijcere exercitum. Cernens autem, nonnullos natatuj commissos equos, aquarum vorticibus abripi, submergique, ipsam dein exercitûs traiectionem fieri nullatenus posse citra navium ac lignorum opem, furere cæpit ac extremè insanire. Tum fluvium allocutus: ita mecum agis, temerariè? Cyrum ita tractas perfractè? sed & ego te quoque! Tum per illius integræ spatium æstatis omnes totius exercitûs illuc adhibuit vires, ut pluribus in locis fluvij diminueret aquas; effecitque demùm, ut in 360. derivatæ canales, posthac imbellibus transitum permiserint fæminis, quæ prius eandem numerosissimis denegabant copiis. Sed enim, O insigne delirium, O decumanam fatuitatem! applicare nimirum totius Persiæ militem, ut unius partiretur fluvij cursum, qui Regium Babiloniæ poterat occupare thronum: fatigari vehementer, ut labile vincatur elementum! & interim pro victoria reportare nihil, quam futilem algæ cannarumque fascem. Verùm deliraverit insanieritque Cyrus! Cyri tamen insaniam æmulando, omnes prudentiæ partes, regias, queîs abundabat, divitias, & quæ Regiorum fluminum adinstar Pactoli Tagique singularem familiæ suæ conciliaverant splendorem, partitus est inquam, & quomodo? in unicum pauperum subsidium. Horum amore dispersit quidem easdem sed nullatenus perdidit: quin potius apud homines egregiam Laudem, & apud Deum duplicatam promeruit mercedem. Non ipsi res fuit, aut inutilis concertatio cum elementis, sed cum pretiosioribus negotium metallis, ex quibus, Christianus planè Dædalus, agilissimum sibi confecit alarum remigium quo deinceps evolaret in Empyreum.

10. Stultus quoque fuit habitus, & quidem insigniter stultus Antiochus Epiphanes Asiæ Rex. quippe qui sæpè sæpius cum extremo Regiæ purpuræ rubore *vilem togam induebat*, in pauperis plebei habitu, per publicas pla-

Athenæus apud Thes. s. 111.

plateas obambulabat & ubique se se detinendo, prodiga stultè manu cusam ex auro, argentoque monetam dispergebat. Verum quid Rochus? Et ipse, proiectis amore Christi, facultatibus omnibus, depositisque principatûs insigniis vili succinctoque habitu, cum pera ad Latus, Regno Galliæ exiens, Italiam pererrabat. *Brevi, & abiecta indutus veste, cum pileo & pera, peregrini instar, ex Gallia in Italiam commigravit.* *Eppel.*

11. Hæc sponte suscepta mendicitas, quam mundani scioli convitiari proque manifesta poterant divendere stultitia, in Rocho pro exquisita meruit haberi prudentia. Siquidem abiectâ auri argentique possessione, vivum cor eiusdem factum est ærarium, in quod gratiæ divinæ thesauros cumulatim conferebat. Omnium rerum spontaneè inops, ut pauperum indigentia sublevaretur, factus est omnium ditissimus possessor: cum esse non possit, iudicio magni Hieronymi, ut quis non affatim sit locuples qui paupertatis Filii DEI redditur particeps: *affatim dives est*, verba sunt Hieronymi: *qui cum Christo pauper est*: aggregatus nimirùm illorum numero, de quibus Apost. Paulus: *Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. *Ep: ad Elio l de laud. vit soli-tar.*

12. Factus ex principe mendicus, factus est etiam peregrinator. Italiam itinerando petens, & per hanc variè circumiens. Circumfert per Italiam peregrinantem pedem, & ea quidem felicitate, ut consimilem genij sui repererit imaginem. Sed ubi, & in quo? scilicet in S. Philippo Nerio. Nam & hîc stulti nomen ambitiosè Zelatus est. Ac ut crederetur, habereturgue pro stulto, habitui clericali tunicam superinduebat coccineam, sed admodum defloratam admodùm decoloratam, multisque mensibus indutam circumgestabat. Famam eandem, ut insinuatum, anixè quærebat Rochus, sed via modoque penitùs opposito. Equidem hæreditariam Rochus da-

deposuit purpuram, multisque non mensibus duntaxat, sed annis vili laceráque penulâ coopertus incedebat. Tulit Philippus invitatus ad mensam Cardinalis Alexandrini, tulit inquam secum in ollulâ coctas lentes! Rochus autem regiæ mensæ delitias in Cereris aut panis permutavit fragmenta, mendicando collecta, quæ deinceps in pera secum deportabat. sæpius sedavit sitim Philippus, publicè & in magna hominum frequentiâ, aquis illis, quæ passim in vasis ligneis devehebantur! Rochus èconta, spretis seu quæ præbet apianum generosis phalernis, seu quos Creta submittit pretiosis liquoribus sitim extinxit ad fontes, ex quibus ipsa iumenta potabantur, idque publicè centum milléque vicibus. Circumtulit peregrinantem pedem, non velut Homerus Pithagoras, aut Plato, ut terrenam aquireret sapientiam, verùm ut lucraretur cœlestem, non velut Abrahamus, aditurus cuiusdam regni possessionem, verùm paradysi beatitudinem: non velut Isaacus, aquas trahens ex puteo, queîs sitiens potaretur grex, verùm tanquam perennis fons salutiferas undequaque profundens aquas: seu queîs proximus proficeret, numerosâ miraculâ, inaudita prodigia. Unde nec cum Iacobo dicere poterat: *dies peregrinationis meæ pauci & mali*; sed omnino contrarium: *multi & boni*: utpote qui iuxta mensuram, quæ sponte suscepit, incommodorum stupendè beneficus, proximis suis favorum gratiarumque partitus est infinitatem. *Gen. 47. 9.*

13. Existens iam in viâ Romam versus, Aquulæ liberâ sua sponte aliquantisper substitit. Huc modo vestram fidem AA. nam horrendum est, quod hic perpetravit Rochus. Audit equidem pestilentiæ contagium extremè furere! corpora humana, animatas fieri officinas ferrarias, nigris igneisque carbunculis abundare: halitum ægrotorum, veluti flatum Basiliscorum, inficere & occidere: solo vestimentorum attactu sanos mortem ad se attrahere, vitáque spaliatos certatim humi prolabi: publicas plateas

nuper hominibus frequentatas, nunc ab herbis occupari; passim easdem insterni, sed pheretris, loculis & sandapilis: quid? auffugere filium à matre, maritum à sponsa, medicum ab infirmo: perindeque miserè destitui, & ægros auxilio, & spirantes solatio, & vitâ defunctos sepulturâ. Quem non terruissent, tam numerosæ, timoris pavorisque catapultæ? quem in fugam non coniecissent? nullatenus tamen Rochum nostrum. Quin potius stimulis charitatis incitatus, illuc rectà se contulit, ubi sæviens pestis crudelissimam suam carnificinam omnibus fermè momentis exercuit. Verùm enim verò quò pergis, quo properas infelix? ad voluntarium exitium? adire namque consortium infectorum, aliud reapsè nihil est, quàm augere numerum defunctorum. Et quid denique dicent, hanc audituri audaciam? quid? evidens esse signum insaniæ nullam habere rationem proximi periculi: sensibus item privatum atque iudicio, qui vitam velut incomparabilem thesaurum, præcipitem agit, tam diro exponens contagio. Expergiscere! redi ad te, Roche! hactenus stolidum æmularis papilionem, dum in ardentem sponte te proiicis rogum: pestem enim cum igne confundit S. Isidorus dum ait: *dicta pestilentia, quasi pastulentia, quod velut incendium depascat*, memineris itaque consilii, quod Romanus Suggerit sapiens: *In pestilentia cavendum est, ne corruptis iam corporibus assideamus, quia pericula trahemus afflatuque ipso laborabimus.* Consule tibi propterea Roche; retrahe, quem jam promovisti, pedem; cape fugam; eteni celebriores quique medici, in tam horrendo morbo præsentius ipsâ fugâ nullum reperiunt alexipharmacum.

De Tranquill c. 7.

14. Quid adhæc tam tempestivè, tamquem seriò admonitus Rochus? muro constantior in cæpto semel continuò perstitit proposito. Plenus enim arcaniore prudentiâ, Christianâque stimulatus charitate, illuc salutiferam suam conferebat præsentiam, ubi mortiferum vehementius adurgebat

bat malum cui non incongruè Prophetæ poterat adaptari oraculum : *& sanitas in pennis eius.* Etenim ingressus mortis campum noster Rochus, elevatâ manu, super infectos crucis format signum, & simul omnem ab iisdem fugat miseriam. Ab hoc pestilentiæ domita fuit hydra, & efficacius longè, quàm ab Alcidis clavâ. Neque Bellerophon suam tam feliciter confecit chymæram ; ut adeo lingua Rochi, Davidicæ possit comparari turri, ex qua *mille clypei pendent.* Quippe quæ ab innumerabili fermè peste correptorum numero, & mortis avertit violentiam & instantis jam jam exitii fatalitatem.

Malach. 4. 2.

Cant. 4. 4.

Lippelous 1. Jul.

15 Studuerit jam, ut narrat S. Leontius in Regno Cypri Episcopus, laboraveritque S. Simon Abbas, procurare sibi titulum sali, quod idem est dicere, ac stulti, adhibuerit insuper omnes dexteritatis nervos, ut quatenus humanos evaderet applausus, quæ cùm ipsius sanctitas, tum miracula quoque merebantur, factis suis non ordinariæ conciliaret insaniæ opinionem : certè Rochi simulatæ prudenter stultitiæ species, & integras urbes, & vastas quoque provincias in extaticum coniecerunt stuporem. Et quid ? N ? si Sanctus ille Abbas extinctum antea canem pede arripuit, ex fœtente cloaca extraxit & cum magno sui ludibiro per publicas plateas raptavit : tum Rochus è corporibus fatali veneno contaminatis, pestem eduxit, atque ad ipsas infernales abyssos relegavit. Si Sanctus ille, sono fistulæ, sonum bellicæ tubæ admodum æmulante Dœmonem, terrefecit, & ex obsesso exire coegit : tum Rochus ad Davidicæ cytharæ sonum fatalis contagij furorem compescuit, & ex plùs, quam sexcentis infectis effugavit. Si Sanctus ille Abbas sude quadam nigrum percutiendo canem simul eiecit ex absesso dæmonem : tum Rochus, nisi ligno, Crucis saltem signo adustos carbunculos adortus eosdem repressit, sustulit, & eorum loco pristinæ sanitatis candorem feliciter substituit : quorum intui-

tu peritissimi quique, Machaones, Æsculapij, Hypocrates stupore fuissent repleti, mente confusi, ab arte derelicti.

116. Aque hæc dum ita prudenter insanus ageret, dum ita charitatis officiis incumberet, dum per Italiæ civitates circumeundo peste correptis vitæ balsamum dispensaret, & vicissim meritorum palmas colligeret: ipse demum magna Crucum fasce corripitur & aggravatur, antea tamen edoctus, ab optimo Numine, & admonitus. Infirmatur itaque gravissimè, felicissimus antea salutis operator. Æstuat, ardet, patiturque febris accutissimum fervorem, qui centenis alijs, vitale largitus est refrigerium. Quique curandis aliorum plagis antehac dictamnum præsentaneè applicuit, nunc pestifero telo vulneratus, in lævi lateris coxendice, languet, & suspirat. Et verò tam insignis, quam ubique dispensavit Rochus, beneficentia, utique rapere debuisset expertas urbes, non in civilem duntaxat applausum, verùm etiam in vicariam benevolentiam, & charitativum obsequium. At Rocho penitus contigit contrarium. Nam una earum nobilissima Romanorum Colonia, debilem licet & ægrè languentem, multo cum populi strepitu extra muros eiecit, & in vicinam solitudinem se recipere coëgit. Et quid agis modò miselle peregrine? anne ab illis longè recedis, quorum operâ nunc plurimum opus habes.? sanam à te mentem quis non requiret? Inter tuas, quas pateris, miserias, si porrò fugis hominum pietatem, voluntarius fatorum minister mortem advocabis, immaturam, & Brevì secuturam. Malè sylvarum salutem tuam confidis umbris, dubio procul, ab his veras abiturus ad umbras. Verùm hæc & eiusmodi talia pro scrupulis habet Rochus, consolans se, speransque præstò futuram auxiliatricem DEI manum, ubi suum homines negant officium. Nec à concepta suâ deceptus fuit fiducia. Nam optimum illud Numen, quod olim cervam sub-

submiserat, ut cum lacte S. Pasceret Ægidium, volucres cicuravit, ut à fame S. defenderent Blasium; corvos instigavit, ut alimenta deferrent ad Sanctos Eliam, Paulum Eremitam, & ANTONIUM; stimulos pietatis cani subdidit, ut in omni rerum penuria, S. non desereret Rochum. Lacerata fuit antehac à canibus Iezabel; canum obsequiis recreatus Lazarus, canis servitio restauratus Rochus. Mira referunt de canibus veterum monumenta: serviisse nimirum Tobiæ pro socio, Romanis pro exploratoribus, Finnis, Cymbris, & Colofoniis, pro militibus, Græcis pro victimis, Heliogabalo pro equis & trahendo curru; demùm pro nutrice Ciro Regi. Nam infans adhuc, in saltu quodam expositus â cane fæmina per aliquot temporis spatium solicitè fuerat enutritus. Nec inferius est quod Rocho præstiterunt canes. Nam canum unus eidem se fidelem exhibuit servum, panem deferendo munificum dapiferum, & ulcus fatale lambendo, medicum. Recepta taliter sanitate, receptisque viribus, suas porrò repetiit Rochus peregrinationes, & profectus in Galliam, unde exiverat, lilia reperit inter spinas, seu ut clarius loquamur, nobiles illas provinicias, belli strepitibus omninò perturbatas. Et quandoquidem omnibus erat incognitus, ita ab hostibus pro exploratore fuit habitus: deinceps etiam vinculis irretitus, ac in idemmet, cuius abdicaverat Dominium, castellum coniectus: in quo per integros quinque annos vitam, usque dum Sanctè finiret, inclusus, duxit. Et verò quid iterum agis, Roche? nullius curæ tua tibi libertas est? mavisne sponte sepeliri in tetro carcere, quàm agnosci pro legitimo Domino; an non hæc quædam insaniæ species est? loquere duntaxat. Quatuor verba, carceris discutient squalorem, & velut Alexandri gladius, vinculorum truncabunt innodationem. Depone, sub qua lates, alienam peregrini personam, & rursus reassume tuam, fac, agnoscaris: & tum opprobria in obsequiosos

vertentur honores; dicteria, in lætos applausus, & felicissimas acclamationes. Tunc semper taces? ita sanè complacuit Rocho: magnam existimans prudentiam, sequi Salvatoris vestigia, qui tempore suæ passionis exquisitum tenuit silentium. Noluit unqam Rochus peregrini deponere habitum: non enim pro sua voluit amplius agnoscere domo, quam antehac amore Christi reliquerat. Vota ipsius unicè collimabant ad cælum: hoc pro sua vera reputabat patria; ad hoc aspirabat unicè, reputans secum cum Apostolo: *non habemus hic manentem civitatem, sed* Hebr. 13. n. 14. *futuram inquiramus.* Et denique feliciter etiam consecutus est. Etenim á gravi deprehensus infirmitate, viribusque paulatim penitus destitutus, SS. Sacramentis muniri voluit; quibus acceptis, dehinc velut si, Bombycis adinstar, in illis carceris angustiis alas accepisset, beato avolatu, suis peregrinationibus finem imposuit, tot ardentissimis votis desideratam translatus ad requiem ad quam perpessæ miseriæ rectissimam planaverant viam. Ubi demum à supremo Cambiatore largissimum suæ negotiationis recepit lucrum. Nam pro abdicato principatu vicissim fuit investitus regno; pro exantlatis amore Redemptoris, tot tamque gravibus incommodis, inæstimabilibus donatus fuit premiis; pro toleratis millies ipsis mortis angustiis, incomparabilibus æternæ vitæ fuit affectus delitiis; pro eo, quòd oculis hominum se se continuò exhibuerit stultum: 1. Cor. 4. n. 10. *Nos stulti propter Christum*: inter fidelium, prudentumque servorum receptus est numerum: Matth. 25. n. 21. *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Dominj tui.* Cæterùm â Rocho vestro discere potestis, quænam vera sit via ad æternam salutem. Cumque vobis placeat eum revereri, & laudare, ita pariter complaceat, eundum sequi & imitari. Et si fortè difficilè vobis fuerit, mundo, patriáque exire, & chara quævis relinquere; saltem arrideat mundanis affectibus herbam porrigere. Omnibus equidem se se privavit

Rochi

Rochi generositas ; gravissimis colla sua sponte subdidit incommodis , amore Christi quævis toleravit aspera , sustinuit acerba si tantum præsumere vires vestræ non permittant ; Largimini saltem pauperibus nonnullam partem vestrorum bonorum , excipite æquanimiter , quæ vobis occurrunt , infortunia ; tolerate patienter , quæ submittuntur à Deo , cùm ad vestræ virtutis excercitium , tum ad meritorum accumulationem. Demùm cùm Rochus, ab ipso cælo fuerit electus , designatúsque pro Liberatore quorumvis pestilentiâ correptorum ; quandoquidem vitiorum contagio sumus ut plurimùm infecti, ad eiusdem validum recurramus patrocinium : quo deinceps à culpæ malis reparati capaces reddamur & æternæ Salutis , & quâ ipse modò fruitur, nunquam finiendæ Beatitudinis.

Dives Paupertas.

PRO FESTO S. PETRI de ALCANTRA.

Scio paupertatem tuam sed dives es. Apocal. 2. n. 9.

TRIBVTVM TERTIVM.

ILluc equidem continuò noster incumbit animus, ut nummos corradat, divitias accumulet, bona cùm mobilia, tum immobilia adaugeat. Non tam à sua Tantulus urgebatur siti, quàm ab hac mens humana incitetur cupiditate. Quin majorem propè concipere nequit miseriam, quàm paupertatem, aut jam jam imminentem aut etiam à longè minitantem. Ab hac, velut à ponderoso Sisyphi saxo Spiritus ingenui ultra modum opprimuntur, & in tristes gemitus dissolvuntur. Omnium fermè foedissima, opinione Aristophanis, omniumque turpissima, quæ phantasiæ nostræ possit occurrere, larva, paupertas est: absuitque parùm quin ab Homero Mantuano ante portas in-

In Pluto & Æneid. lib. 3.

Hæc

ferini pro Furia cum Fame & Necessitete fuisset collocata. Hæc ut plurimùm, animadvertente Iuvenale, causa est quod animi de se, & naturâ suâ generosi & magni, petacissimæ plebis exponantur risui, quod nobilitatis obscuretur splendor, quod monilia gemmis auróque contexta, in nodosas catenas, dominatus in miseram servitutem permutentur. Quam ob rem, ut effugiant pestilentem hanc feram, quàm plurimi mortalium ad ultimos excurrunt Indianos, sævissimis se se committunt maris tempestatibus, præruptos saxis superant itineribus montes, sæpéque per ipsa sibi viam sternunt incendia, prædatricesque flammas. Hinc Poëta: Horat. l. 1. ep. 1.

Impiger extremos currit Mercator ad Indas;
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

2. Et his quidem seu principiis seu maximis imbuti sunt animi, amatorum mundi, non item servorum DEI. ab ipso paupertatis sinu sufficientem sibi collegisse sustentationem Tobiæ fatebatur mater: *sufficiebat nobis paupertas nostra.* Tob. 5. 25. Quod Bonitas divina desideria secundet humana, paupertati regius Psaltes imputat: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Psal. 9. 17. Sique est paupertatis amaritudo duntaxat apparens est: utpote quæ cum exquisita suavitate supernè dulcificatur. *Parasti in dulcedine tua pauperi DEUS.* Psal. 67. 11. Et ubi mundanis indiciis omni videtur carere bonitate, ipsa, stupendâ cum felicitate continuò promovetur, cùm ad possessionem illius beatitudinis, quæ solet definiri: status omnium bonorum aggregatione perfectus; tum ad investituram cœlestis, solidéque Gloriosi regni: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matt. 5. 3.

3. Pro Lydio lapide, quo hæc ritè probetur veritas, te nunc inclamo, O Petre de Alcantara! te, repeto, qui paupertatem pro unicè dilecta tua elegisti sponsa; qui velut optimus Israëlita ex hac aridâ Petra mel suxisti suavissimæ iucunditatis; qui ope eiusdem & operâ, miserabilis cellu-

læ angustias, in spatiosissimam cmmutâsti Paradisi vastitatem. Exime O Sancte! trabalem errorem ex cordibus nonnullorum malè instructorum; dic, pro ut aliàs sæpè solebas: *Beati pauperes Spiritu.* Referant modò, per me licet, numerosas, quibus claruit Petrus noster, virtutes, præstantiores quique Oratores; Rhetoricis easdem, prout optimè sciunt, depingant coloribus; adornent eas excellentioribus quibusque tropis & figuris; coadæquent cum Principis Sacerdotum stationali; dicant, animam ipsius virtutum gemmis ad stuporem usque, & splenduisse & fulgurâsse: mihi hodiè cum sola Petri paupertate res erit. Hanc assumam pro gloriæ eiusdem, & encomij argumento; dicamque, quod olim Christus ad Episcopum Smirnensem: *Scio paupertatem tuam, sed dives es*: demonstraturus: in ipsis paupertatis angustiis, magnis abundâsse divitiis. Et sic paupertati Petri, correspondebit defectus meorum talentorum, & magnitudini meritorum, meorum conatus affectorum. Vos vero! N. cùm fortè observaveritis, omnibus ornamentis meum spoliatum esse discursum, cogitate, paupertatem, iuratam esse omnis pompæ inimicam.

Apocal. 2. 9.

4. Cæterùm cùm de paupertate loquar, non illam intelligo, cui duris necessitatis legibus vita humana violenter astringitur, nec illam, quæ pedibus iniicit vincula, collo catenas, vim tyrannicam toti vitæ, & propterea cum extremo rancore excipitur, cum extrema impatientia toleratur: sed illam potius, quæ à Spiritûs fervore concepta, spontaneè à voluntate genita, reijcit, quævis terrena bona, ut IESU crucifixi vestigiis insistens, aquirat æterna. Et versus hanc plurimo fuit succensus amore, Petrus noster. Etenim etsi pro patria sortitus sit Urbem de Alcantara, locum aliàs valdè populosum, nobilibus locupletem, & matrem Heroum; natales verò suos à legum doctore, viro, non minus sanguine quàm doctrinæ præstantiâ illustri: ipse tamen spretâ patriæ nobilitate, contemptâ ordinis equestris magnitudine, concul-

catis-

catisque patriæ, domûs commodis & proventibus, pauperta-ti Franciscanæ totum se se consecravit. Summa votorum, summa suspiriorum hæc fuit, extremæ, duræque paupertatis brachiis recipi! quasi nomen Extremaduræ, provinciæ scilicet, in qua lucem aspexit Petrus, aut omen ipsi fuerit ad eiusce-modi resolutionem, aut stimulum addiderit. Igitur, ad Monasterium Manxaradense, in vicinia saxis abruptis inædificatum, atque cùm à disciplinæ rigore, tum à religiosæ observantiæ sanctitate famosum, festinè, se confert. Et quid dico, se confert? illuc potius delatus fuit. Nam perventus ad fluvium Tentar, dum naviculam circumspicit, qua turbidas, spumantesque fluvij procellas posset traijcere; dum quærit, & non reperit, dum conatur; & omni auxilio destituitur; dum multa cogitat, & continuò incertus hæret; fortuitò miraculo se se sentit impulsum, & simul ad alteram fluvij ripam deportatum. Fortunatissime Petre cui paupertas hactenùs suspirata solùm, alas addidit, velut alteri Dædalo: queîs undas illas superares. Secutus es cum omni promptitudine gratiæ supernæ impulsum; & hinc cum ventorum pennis ultra fluvij cursum felicem prosecutus es volatum: ubi Israëlitæ, auro argentóque graves, transierunt Erithreum mare, pede fugitivo lutosum premendo fundum; *in luto aquarum multarum.* Ipse, velut Davidica co- *Habacuc. 3. 15.*
lumba, reiecto ad posteriora auri splendore gurgites illos transvolasti, adiutus, aut tractus velut Habacuc, ab Angelica intelligentia, de quo dici poterat: *ascendit super cherubin, & volavit.* *Psal. 67. Psalm. 17. 27.*

5. Et verò, qui cum columbæ agilitate oppositum transit fluvium cum aquilæ affectu, quæ, *in arduis ponit nidum.* *Job. 39. 72.* In montosum illud, desertumque se recepit monasterim. Ubi crudum assumens habitum, vel, ut meliùs loquar, asperum induens Francisci cilicium, plantatus dehinc in Sanctam religionis terram veluti Palma, cuius, ut hinc asserit S. Augustinus *aspera radix videtur in terra.* Inde Plinius affirmat, *l. 13. c. 4.*

quod

quod amet fundum arenosum: inter ariditatem ieiuniorum, summique rigoris ad nobilissimos excrevit triumphos: tum truncando ramos mundanarum facultatum, speique terrestris, quantò fuit factus pauperior, tantò virtuosis fructibus, gratiáque cœlesti ditior & locupletior.

6. Notabile est, quod narrat Nicolaus de lyra; nempe, quod David, vocatus à DEO, ex regione Maab, ubi tum exulabat, in terram Israël; in primâ sua peregrinatione; *venit in saltum Haret.* Nunc audite rem
1. Reg 22. magnam & notatu dignissimam. Quàm primùm, ac David, in illo saltu vocato aliàs, *terra deserta & arida*, *& inaquosa*, comparuit, totus loci situs permutatus fuit. Horror ille nativus amænitatem induit horti; rupium, saxorumque squalor dulces sapidosque stillavit favos; planities illæ, sappis, sentibus, virgultisque occupatæ, posthac herbas geminarunt, & pinguia iumentis pascua; demùm ex fundi medio, pumice glareâque scatente crystallini ebulliе-
Psal. 62. 2. runt fontes: de quo meritò dici poterat: *In loco pascua ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me.* Iam quis ex
Psal. 22. 2. vobis non animadvertit, in Petro tam rara denuò renovata fuisse mirabilia? Rupium illarum ingreditur squalorem, & quandam Paradisi reperit amœnitatem: generoso conatu variis tormentis suos cruciat sensus; & vicissim supernis deliciis eiusdem recreatur Spiritus: mundum egressus ad extremam omnium rerum se se condemnat derelictionem, & cœli benignitas mille gratiarum submittit rorem.

7. Et verò, si dicere licuit Coridemo Atheniensi, disciplinam militarem inter Alexandri magni milites tam diu floruisse intactam quam diu pro sua Magistrâ recognovit pau-
Q. Curt. l. 3. pertatem; *Militarem Alexandri disciplinam exstitisse integram, atque incolumem, paupertate Magistrâ*: si docere S.
Paranet. Nilo, militem Christianum ultra modum à paupertate vires accipere, & fortificari: *Constantem legis Athletam, paupertas efficit.* Si concionari S. Ambrosio, quod inter omnes vir-

virtutes paupertas : *Ordine prima est , & parens quadam , generatioque virtutum* : ita, ut, seu, velut Antesignana, reliquas virtutes pulchro ordine dispositas post se trahat ; seu velut fœcunda mater, universas ex sinu suo progeneret : quid mirum, in religiosa militia, Petrum tantùm profecisse, inque possessione virtutum omnium sobrietatis, castitatis, vigilantiæ, obedientiæ, pacis, humilitatis, & charitatis fraternæ, tam excellenter disciplinatum evasisse : quandoquidem Apostolicæ, seu, quod idem est extremæ paupertati, ultra modum erat addictus, & omnibus animæ facultatibus applicatus ?

8. Loquendo de Petri cella, sita illa erat subtus arcum cuiusdam scalæ ; tam verò brevis, ut eundem, utpote iustâ staturâ bene conformatum, extensum aut iacentem, nullatenus caperet ; tam humilis, ut in eodem mansurus, necesse habuerit, velut Atlas, qui cœlum sustentat, dorso incurvato collo contracto, facie versus terram pronâ commorari : ita ut dupliciter angusta, aliter non reciperet, nisi vel sedentem vel genuflexum, vel aliàs quomodolibet inclinatum. Iam verò quid. N ? cellane vobis videtur, an carcer aliquis ? parietum illorum ambitum secessum nominemus, an compedum contexturam ? servierat equidem Petro ; sed quo modo ? tam pro perfugio, quàm pro torturâ. Quisquamne complexus est habitationem, aut magis egenam, aut magis miserabilem ? Parva, nullus diffiteor testudinis domus est ; attamen partium & situi, & magnitudini ritè proportionata ; à quodam propterea facta dicere : *parva, sed apta mihi* : verùm de suâ cellulâ Petrus dicere non poterat, nisi penitus oppositum : *parva ; nec apta mihi.* Erat Hilarioni mansio, contracta quidem, & admodum angusta ; talis tamen, quæ, licèt ægrè, tam ipsum capiebat : *Quæ vix ipsum caperet* : at verò Petro tam arctè concentrata, quæ, *nec ipsum capiebat.* Erant etiam olim fidelibus, tyrannorum persecutiones fugientibus, speluncæ pro domibus, cavernæ sub-

terraneæ pro domiciliis, perinde tamen ſpatioſæ, capaceſque ſufficienter; Petro tamen hoſpitium tam infelix, ut veluti DEI filio, *non erat ei locus in diverſorio.* Verùm animo non cadamus N: Etenim ſi prima pars elogij verificata fuit in Petro; *ſcio paupertatem tuam*: verificata fuit etiam ſecunda: *ſed dives es*: Petri duntaxat corpus premebatur anguſtiis illis: animus autem per apertam cœli ſpatiabatur amplitudinem. Domus lutea (nonnullus dicebat eruditus) *cæleſtem animum non anguſtat.* Sub ſcalæ gradibus habitaverat Petrus, & interim per virtutum gradus pede progrediens plenis paſſibus appropinguabat Empyreo. Viſæ ſibi ſunt anguſtiæ illæ, quibusvis etiam maximis palatijs pares: nimirum à tam digno habitatore maximè nobilitatæ & ampliatæ. Gloriata tum temporis Hiſpania eſt, in perſona Petri novum poſſidere Alexium, qui, contempto mundo, ex viliſſimæ cellulæ anguſtiis ſubtus arcum cuiuſdam ſcalæ fabricatæ, heroicum erigebat Capitolium. Poterat, arctatus in illa miſerabili parietum contractura, videri velut Apis in alveari ſuo recluſa; cum adſcripto lemmate: *operoſior in anguſto*: quippe qui cum actionum ſuarum candore, & ceram elaborabat, quæ paſſim in hoc toto univerſo gloriæ ſuæ debebat accendere facem: & ſimul etiam ſugebat mel, cœleſtium nempe conſolationum ineffabilem dulcedinem. Veluti bombyci, Petro quoque ſuccreverunt in brevibus illis murorum periodis, & emerſerunt alæ: queîs, meditando ſcilicet, evolaret, & ad Beatam ſe ſe ſublevaret patriam: de quo nonnemo: *è carceribus alas.* Exibat èque illis anguſtijs auguſtior: & infantis adinſtar, adhucdum in utero materno recluſus, de bono progreſſus eſt in melius, formatus paulatim, *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Luc. 2. 7. — *Petrarc. 2. de remed. cap. 63.* — *Ephes. 4. 13.*

9. Et quid porrò dicam de ſupellectili, quâ miſerabilis hæc cellula fuit adornata? quid putatis, in eadem potuiſſe reperiri? Breviarium, jam media parte lacerum: Chartaceam iconem, & nudam aliquam Crucem. Hæc nimirùm

erant

erant opportuna fomenta, queîs illius charitatis nutriebantur flammæ, quibus Phænix noster suaviter ardebat. Posset adiungi truncum ligni frustum, muro adfixum, quo, ceu pulvinari caput ipsius excipiebatur, cùm aut laboribus delassatus, aut somno oppressus brevem & pariter incommodam capere volebat requiem.

10. Cæterùm quoniam gentium Apostolus paupertatem Apostolicam ad duo reducit capita, victum scilicet, & vestitum: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*: quo sensu, seneca suum quoque persuadere conatur sapientem, ut nonnunquam sit: *contentus minimo ac vilissimo cibo, dura atque horrida veste*: quis satis edicet, quo rigore noster Christianus vixerit Philosophus? Et de victu quid memorem? Erat is qualitate vilis quantitate parcus; frustum panis nigri, duri, mucidi quandoque, ut comedi posset, aquâ emmolliti: additis nonnumquam vilibus herbis, & malè conditis leguminibus: manducans perpetuò, prout diceret David: *panem doloris*. Et de potu quid? Extinguebat Petrus sitim, non cum vino, liquore nimis dispendioso & eiusdem judicio, perfectæ paupertati multùm repugnante; verùm instar Ioannis Baptistæ cùm mera profluentis simplicitate: ut perinde paupertatis flos continuò rigaretur, rigatus fomentaretur. In ipsis itineribus, longis licet, asperis & laborosis, nudis incedendo pedibus, semper sine baculo, sine pera, Thesaurum suæ paupertatis, ærario confidebat illius infinitæ providentiæ, quæ pascit abundanter, & cœli volucres, & miserabiles corvorum pullos. De vestibus quid subiungam? una sola tunica, quâ magis atrita, reperiri nulla poterat in toto monasterio, millies ab eodem refecta, & restaurata, Petri tegebat extenuata membra, per annos fermè quadraginta: quæ deinceps (quasi foret vexillum, ab ipsius paupertatis manibus explicatum) quantò magis erat lacera, & abiecta, tantò magis erat Petro pretiosa, & accepta.

1. Tim. 6. 8.

Ep. 18.

Psal. 126. 2.

11. Et

11. Et verò cùm de vestimento cœperim sermonem facere, curiosum, quod successit, factum, ad se meum invitat calamum. sparsâ jam latè sanctitatis ipsius famâ, Religiosus nonnullus, & ipse non modicè qualificatus, animum adjecit, ut Petrum visitaret, & cultu debito prosequeretur. Edoctus posthac, quod esset in horto, circumlatis hinc inde pedibus & oculis, cum alium videret neminem, præterquam hominem omninò nudum, nisi quod humeros attritum tegebat palliolum: ubi Petrus esset, â Petro quæsivit. Cumque reposuisset, ipsum esse, quem quæreret, à quo quærebat; & quomodo, subiunxit ille, persona tam considerabilis totque virtutum titulis celebrata, in tanta vilitate, & indecentia reperiri se, non verecundatur? Cui Petrus: Pater, si quæ fuit in hoc commissa culpa, Christi accuset Evangelium quod unicam solumodò permittit habere tunicam. Hanc à me modo lavatam, ut exiccetur, soli exposui, quatenus deinceps iterum induere possim. Iam verò, quis ex vobis N. tam exactam observavit in aliis Sanctis, tamque rigorosam paupertatem? An non Petrus, ita nudus in horto illo commorando, Primum exhibuit Adamum, nudum adhuc in innocentiæ statu & conversantem in terrestri Paradiso? Quis me prohibet, quin adaptem Petro discursum, à S. Cypriano formatum in honorem Iosephi, quando vestem reliquit in manibus Ægyptiæ: *ipsas vestes reliquit, corporis nudi sinceritatem habiturus innocentia testem.* Veniant modò, veniant inferni detestanda monstra? lacessant, provocent, irritent ad luctam nostrum Petrum; omnes suas exerant scelestas artes: nunquam sanè prehendent, nunquam vincent, nunquam deijcient: quippe qui, prout magnus ait Gregorius: *non habet unde teneatur.* E mediis mundi procellis enatabit ad portûs felicitatem sapiens hic natator: ipsas etiam, velut Delphinus, omnibus impedimentis denudatus, calcaturus tempestates. Neque illud prudenter quis negaverit, Petrum Crucis amore fuisse præprimis accensum

li. de Bono pudicit.

post-

postquam in semetipso Crucifixi miserabilem expressit nuditatem. Et hanc quidem videmus, hanc agnoscimus, O Petro! *Scio paupertatem tuam*: simul tamen etiam adiungere cogor: *sed dives es.* Nam ut verbis utar nostri Richardi à S. Victore: *Quamvis angustieris in corporalibus, dilataris in bonis spiritualibus, in plenitudine doni cœlestis, in exercitatione virtutis, in verbo prædicationis &c.* Amplius verò testimonium quod reverà dives sit ipsiusmet terræ dabit Elementum.

12. Etenim seu situs illi, seu extrinseca terræ spatia, subtus quæ generari solet aurum, & argentum, ut plurimùm omni florum pompâ destituta sunt, & herbarum arnamento. Vel quia Natura, generationi metallorum, ceu corporum pretiosorum tota intenta, ad florum herbarúmque vilitatem non attendit; vel quia vapores minerales, interno calore concitati, & continuò exhalantes, seminalia germinum principia, exurunt & mortificant. Quo referri potest illud Plinij: *Montes Hispaniæ aridi, sterilesque, & in quibus nihil aliud generatur, auro coguntur fertiles esse.* Ut adeò montes illi, rarâ naturæ dispositione, & steriles sint, & simul auro fertiles: extrinsecus squalidi, miserabiles, deserti; intrinsecus autem magnâ divitiarum copiâ referti. Nullos producunt fructus; id est, nec herbas ad iumentorum pascua, nec legumina, ad hominum alimenta: aurum tamen producunt, quocum abundanter omnia comparantur, ut facile dici possit, quod sint *nihil habentes, & omnia possidentes.* Verùm quid de montibus Loquor? Intuemini Petrum, maximam totius Hispaniæ Gloriam. Considerate mecum extrinsecus & intrinsecus. Extrinsecus, speciem præfert terræ desertæ, terræ nudæ, terræ penitus desolatæ: verùm ut intrinsecus, & sub hisce decumanæ paupertatis spoliis, in ipso reperiantur, *Thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Intuemini stantem supra suggestum: & primo quidem intuitu non aliud animadvertetis in ipso quàm centones & scruta; dehinc vero percipietis, quod ex ore suo tot proferat margaritas, quot ver-

Georg. Agricol. l. de re metall.

l. 33. c. 4.

Coloss. 2. 3.

verba: quòd cum exquisita puritate altissima fidei revelet arcana: quòd cum sonora sua voce tanqum Argentea tuba, suos incitet auscultatores, ut induant arma lucis, & currentes virtutum semitam, promissæ electis coronæ se se reddant participes. Intuemini porrò pœnitentium auscultantem] accusationes; & sub laceris omnino centonibus hominem offendetis penitùs aureum; DEI proximique charitate vehementer inflammatum; stillantem è labiis suis hyacintos dicam an carbunculos, nescio: utrisque tamen infirmas animas ab iniquitatis putredine præservantem, atque ut exeuntes è fœtentibus peccatorum clôacis purissima Divini Numinis templa se præstent, persuadere adconantem. Intuemini denique domesticis præsentem colloquijs; & colligetis, ex eodem, velut ex Arra tastamenti, quot responsa, tot prodire oracula, suggerente scilicet dubitantibus consilia, afflictis solatia excœcatis documenta: dum interim etiam sœpius cordium penetrat abscondita, futurorum successuum prædicit eventa, & velut sui temporis Alcides, aurea nuditati suæ componit vincula, vi quorum plebeos pariter ac nobiles mirabiliter ad DEI trahit amorem, & suimetipsius cultum ac venerationem.

13. Et verò, sapientiæ ipsius thesaurus, qualis quantusque fuerit, efferat magna Mater Theresia; nam ipsa præcipuè experta est: dum à lingua, calamoque Petri quasi tota pependit, & in difficillimis quibusque negotiis se dirigi passa est: eloquatur succosum illud volumen, quod in orationis scripsit materia, à quo fidelium multitudo, velut à stellis interpunctato cœlo, ad Insulas beatas, & ad omnis felicitatis regnum amandatur: extollat & ipse Luodovicus Granatensis, qui, velut probabiliter dicitur, ex Petri nostri fodina, aurum excavavit doctrinæ suæ: quam deinceps in tractatu de oratione & meditatione multo cum ingenio exercuit explicuit, & dilatavit.

14. Con-

14. Considerans Philo Hæbreis Dominium, authoritatemque quam olim Moyses habuit non solùm supra ipsum regnum Israëliticum, verùm etiam super ipsam elementorum universitatem; stupore deprehensus, O magnam Scripsit, Gloriam! cernere, istum DEI servum: *sine auro argentoque ac reliquis operibus regnum administrâsse.* Similiter Ioannes Chrysostomus, & ipse contemplans Eliam: *O rem mirabilem*, exclamat, *ne vestem quidem habuit, & cælum clausit. Quia nihil hic possedit, ideirco multam habuit potestatem.* Et verò quis, ad Petri honorem, non similiter exclamaverit: *O rem mirabilem!* quod homo, *sine auro argentoque* possit è fundamentis ædificia erigere, fabricare monasteria, stabilire novas, insignesque provincias, & in immensum quasi, seraphicæ observantiæ gloriam promovere. O divitem, excellentemque paupertatem? cui tua detulerunt obsequia etiam stupidæ insensatæque creaturæ. Testes inclamo, vos spumantia, tumida, furibundaque flumina, quæ, ut â nudis Petri pedibus feliciter transiremini dorsa vestra demisistis, & in crystalli duritiem solidastis. Testes volo, vos ventos, aliàs effrænes & indomabiles; qui, cum sub diu nudoque cœlo Petrus incruentam offert victimam, furiam, qua tum agitabamini, posuistis; & cùm sacrificanti, tum magnæ sacrificio præsenti multitudini absolutissimam malaciam impertiistis. Testes advoco, vos nives; quæ, dum Petrus inter quatuor intectos muros pernoctare constringitur, maximâ quidem copiâ cecidistis; attamen ne Petrus offenderetur, in aëre constipatæ candidissimum laqueare, tectumque conformâstis. Testes appello vos pluvias, quæ cæcis è nubibus imbricatim præcipitatæ, ausæ non fuistis, seu Petro, seu Petri socio pallium attingere vel madefacere. Et tu, O Nebula! nunquid circa Petri caput condensata, in vicem, ut denique copiosum eidem affunderes rorem, eleganter lucentem efformâsti coronam? verùm quid cum elementis me detineo; Cùm Petrus ingreditur urbem Seviliæ, Angeli in splendentis

Cometæ similitudine facem præferunt velut ante triumphantem, Cùm Monasterium ipsius ad alimentorum reducitur angustias; Spiritus beati promos condos agunt, mensam instruunt, pertiosisque cum panibus, tum aliis quoque bellariis onerant. Cùm quondam inter montes serræ murenæ radiis solis arefactus, siti propemodum emoritur, ab egresso è sylvis tauro, timore quidem admodum impletur, in fugam coniicitur, extra viam tamen errando, simul tamen ad cuiusdam salientis fontis aquas dirigitur. Quid hic prohibet dicere, nostrum sinceræ Sanctitatis solem à signo tauri, ad signum Aquarij ordine retrogrado fuisse manu ductum?

15. Et quid porrò dicam de thesauro sanitatis, quem ille liberalissimâ dispensavit manu? Referunt, qui Petri scripserunt Hystoriam, manus eius continua ieiuniorum maceratione, ita fuisse macras, & extenuatas ut arborum radicibus potuerint assimilari. Et tamen manus istæ, quàm aurea produxère poma, quàm mirabilia beneficientiæ opera! Antequam Apostolus Petrus erigeret claudum, publicè protestatus, *Argentum*, inquit, *& aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do.* Quoniam nullæ mihi sunt terrenæ divitiæ conferam tibi sanitatis donum. In Nomine IESU Nazareni *surge & ambula.* Quod factum considerans S. Cromatius: *O verè beata* dicebat *Paupertas, quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, tantùm de cælo largitur. Non dat quidem argentum, & aurum, sed quod plùs est omnibus divitiis, reddit corporis sanitatem.* Et hoc quod olim factum á S. Petro Apostolo, denuò renovatum fuit à Petro de Alcantara. Ægrotabat nobilissimus iuvenis, D. Antonius Manrique, tamque graviter, ut à medicis derelictus in ipsius mortis videri potuerit jam jam hærere faucibus. Ad quem vocatus Petrus quoniam, dicebat, nullus mihi pulvis de margaritis, nulla confectio de hyacinto, nullum potabile aurum, quo tua possit prolongari vita: *quod habeo, hoc tibi do.* Pariterque prædico, quòd intra breve temporis spatium, & tua mitigabitur infir-

Act. 3. v. 6.

infirmitas, & amissa denuò recuperabitur sanitas. Commoratus in Conventu Arenatensi, rogatusque, ut nonnullis subveniret, aut oculis omnino captis, aut alias graviter affectis, vestrum, vos rogo, (dicebat) nullatenus despondeatis animum. Nam tametsi nulla mihi sint pretiosa coliria, *quod habeo hoc tibi do.* Supra vos Sanctam ego formo crucem, & simul à vobis omnem auffero miseriam. Ceciderat in puteum iuvenis quidam; habitusque pro mortuo, Petri precibus commendabatur. Et Petrus: tametsi non habeam ex auro contexta retia nec funiculos purpureos, Neroni familiares: tamen, queîs cingimur, socius meus, & ego, funes in puteum demitto, mortuas aquas, in viventes commuto lapsúmque, sanum vobis & integrum iterum restituo. Qui deinceps iure merito dicere poterat: *& ceciderunt mihi in praeclaris.* Psalm. 15. 6. Petrus itaque non habebat argentum & aurum. Aurò tamen pretiosior erat charta, Petri manibus inscripta: quippe quæ in corporibus, tum in animis stupenda operabatur prodigia, quovis thesauro dignior erat, & pretiosior, quo cingebatur, funiculus, utpote, qui & morti fatales ligavit manus, & in parturientibus fugitivas detinuit animas. Ut taceam, baculum aridum, aliàs sustentandæ senectuti deputatum. Qui plantatus in horto, denuò revixit; cui proprij fructus, quod multa quotidie fuerint operati mirabilia, arboris miraculosæ titulum acquisiverunt.

16. Et quamvis aliàs multis capitibus dives fuerit Petrus, ditiorem tamen longè se exhibuit divinarum Angelicarumque prærogativarum factus depositarius. Relata, quam Æneas Evandro regi, velut hospiti suo gratissimo fecit, adhortatione.

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum 8. Æneid.
Finge DEO.

Subiungit seneca: *Nemo alius est DEO dignus, quam qui opes contempsit* Sen. ep. 18. Ac ut ostendat hoc verum esse, sagax gentilitatis prudentia pro digno Deitatis repositario Silenos as-

 sum-

sumpsit : gerentes equidem hominum formam, sed nudam, sed pauperem, & si subinde tectam, ex parte solùm & non nisi ruvido setosoque panno : Silenos, qui in antrosis sylvarum recessibus vitam ducebant humilem & infelicem, posthac verò suo in pectore, velut in sacro armorio statuas recludebant, ac Deorum simulacra auróque gemmisque distincta. Queîs propterea additum fuit hoc Lemma : *Pretiosa latent.* Ac ut id quod dicere intendo, magis elucescat, aliquem etiam Sacris eruditionibus demus intuitum.

17. Quàm diu Patriarcha Iacob, in paterna domo, rerum omnium abundantiâ, omnibusque commoratus est commoditatibus, nunquam cœlestium dignatus fuit visionum delitiis. At verò quando nativo suo digressus domicilio, ad eam pervenit miseriam, ut terram pro lecto, rigidum saxum pro pulvinari extensos firmamenti fornices adhibere debuerit pro operimento, tum verò aureæ cœli se sè dilatavêre portæ, ac dum omnibus Mundi destitutus erat solatiis, *vidit Angelos DEI, & dominum innixum scalæ.* Ubi Chrisostomus. *Quoniam habebat spiritum ab omni vanitate liberum, admirabilem illam meruit visionem.* Quid verò nunc de te Petre? & tu sanè prodigiosus es. Persona tua, miserabilis instar Sileni; *foris pannosa, intus speciosa splendet.* Non minus ac Iacobus, à terra, terrenisque rebus abstractus admissus es ad visionem, non Angelorum duntaxat; verùm ipsiusmet etiam Deitatis. Propter frequentes queîs velut Spiritus purissimus à rebus elevaberis transitoriis, ritè cum S. Paulo dicere poteras : *Conversatio nostra in cœlis est.* Vultus tuus, velut Protomartyrio Stephani pulcherrimè resplenduit, & ipsimet adversarij tui faciem tuam viderunt, *tanquam faciem Angeli stantis inter illos.* Celebranti Sacrosanctum Missæ Sacrificium, adstiterunt hinc Seraphinus, inde Cherubinus (tales videri poterunt Franciscus, & Antonius Paduanus) quorum ille Diaconi, iste subdiaconi ministerium subiit. Sedenti ad mensam, sæpius visum fuit Incarnatum Verbum.

Gen. 28. 12.

Ber. Ep. 113

Ad Phil. 3. 20.

Act. 6. 15.

tum

tum Architriclini, tum Pincernæ defungi, officio dividere cibos, porrigere tibi scutellam, sedensque ad Dextrum Latus, ori tuo cibos inserere. Veneratus es semper. Virginem Matrem & Ioannem Evangelistam; utrumque partialissimis colens & prosequens obsequiis: vicissim verò sicut ab ipsis continuò fuisti protectus in vita, ita visitatus in mortis agone. Nam præsentibus illâ & hoc, in expressa Sanctissimæ Trinitatis visione defixus, ultimum exhalâsti Spiritum.

18. Et hoc, quo primùm dixi, modo inter vivos esse desiit Petrus noster. Si modo dicere liceat; esse desiit: quippe qui perpetuò mansurus erit in vivâ posterorum memoria, & frequenti fidelium veneratione. Semper pauper semper egenus, transitoriis, semper destitutus bonis: interim autem etiam semper dives, semper abundans, semper locuples, virtutibus, meritis, & existimatione. Summo in pretio fuit habitus à IOANNA Portugaliæ principissa, summo in honore à Carolo V. Romanorum Imperatore summa in reverentia à S. Francisco de Borgia, summa in veneratione à Matre Theresia: Exaltatus à summis Pontificibus, adoratus à DEI Ecclesia, Laudum Encomijs præconizatus à facundissimis oratoribus. Et hinc ego demisissimis hodiè flagito precibus, ut in hac desertâ tributi mei paupertate, magnam gratè accipiat adfectus mei abundantiam. Vos verò N. quandoquidem Dominus Christus, iam antehac Sanctæ declaravit THERESIÆ, impetraturam certò, quidquid cum invocatione Petri nostri esset petitura; animos hodie sumite, firmâ cum fiducia ad magnum hunc Christi pauperem accedite, vivaque cum fide eiusdem patrocinium implorate: fietque tum, ut eiusdem meritis & intercessione indigentiis vestris sublevemini, & magno cùm beneficiorum, tum gratiarum numero cumulemini.

Apis Virginea.

PRO FESTO S. CHATHARINÆ SENENSIS.

TRIBVTVM QVARTVM.

Brevis in Volatilibus est apis, & initium dulcoris habet in fructu illius. Eccl. 11. 2.

IMmensum mirandarum raritatum Theatrum, si modò intimiùs consideretur, mundus est. Ut plurimùm autem illa corpora majorum ad se trahunt admirationem, quæ sub parva mole stupendarum perfectionum complectuntur collectionem. Propemodum extra se rapuerunt Tertulianum provida formicarum sollicitudo, industriora arenarum retia, & nobilis bombycum textura, sericis, iisque subtilissimis filis elaborata. Scaliger admirari satis nequivit volantem culicem, qui in suo susurro æmulando tubæ clangorem, in aculeo vibrando Lanceam, in corpusculi robore confisus, adoriendo quemvis etiam cordatissimum, repræsentat caballum, equitem & volatorem: seu meliùs dicendo, quendam cum

Pegasum, quendam Perseum, quendam Bellerophontem. Inter sculpturæ miracula Plinius Quadrigam Mirmecidis reponit, quæ vix bene visibilis, attamen rotundè perfecta, cum suo auriga; cum unius muscæ ala poterat cooperiri. Narrat etiam galenus cum magno suo stupore visum à se Phaëtontis currum cum quatuor suis equis distinctè effigiatis, in annuli gemma insculptum. Denique refert Tullius, vastam homeri Iliadem in membrana quadam ita artificiosè fuisse inscriptam, ut in uno nucis putamine quàm optimè claudi potuerit, & occultari. Verùm reliquos inter, apem nec satis intueri, nec satìs admirari potest Ecclesiasticus; quippe quæ admodum angusto corpusculo prædita, perennem suavissimæ dulcedinis præbet scaturiginem, & fœcundissimam Mineram. *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet in fructu illius.*

2. Perspectum equidem mihi est, quòd tractando de laudibus Chatarinæ senensis, ad quas hodiè perorandas invitatus sum, possim illam æquiparare aut bombici cuidam; quippe quæ contemptum vermiculum se sœpius appellans, in Ovatura suorum secessuum argenteas acquisivit alas, queîs supra cœlos avolaret: aut culici Spirituali; utpote quæ dormitantes animas pungendo excitavit, & profundum peccatorum lethargum iisdem excussit: aut quadrigæ solis; nempe quæ quantum est, Catholicum cœlum singularibus suis prærogativis circumdedit, & eorum gloriosissimâ famâ adimplevit: aut candidæ demùm membranæ, cui centum, milleque virtutum excellentiæ reperiuntur inscriptæ. Verùm quoniam Alumni S. Dominci unanimiter omnes illius opinionis sunt, CATHARINAM velut Apem agnosci, & haberi opportere, è cuius Virgineo sinu velut è mirabili officina exquisitarum virtutum destillavit mel: *Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet in fructu illius*: ab isthoc argumento ne latum unguem discedam. Inhærendo itaque doctrinæ S. Ambrosij; *Digna Virginitas, quæ apibus comparetur,*

G. sic

sic laboriosa, sic pudica : omnes vos N. hodiè invito, ad contemplandam Virginem nostram, cum excellenti puritate dotatam, cum mirabilibus operibus nobilitatam.

3. Tu interim Sanctissima Virgo, quam velut apem intueor & habeo, dum de te tuisque laudibus loquor, linguæ meæ mellis impetra dulcedinem, conceptibus meis Spiritosos impertire aculeos; ut & affectus nostri suaviter pascantur, & corda nostra, ad tui imitationem efficaciter incitentur.

4. Inter reliquas, quas in apibus singulariter consideramus, prærogativas, Munditia est. Hæc tam exquisita est, ut Aristoteles propterea reliquis animalibus apem in puritate facilè præferat. *Et hoc animal omnium mundissimum.* Varo ait, loca fœtentia, vel aliàs impura, apibus insupportabilia esse: *nulla horum assidet in loco inquinato, aut eo, qui malè oleat.* Verbo, omnes universim, si Dydimo credimus; puritatis in excellenti gradu sunt amatores: *Est hoc animal per excellentiam purum.* Hinc, quantùm omninò possunt, cloacarum fugiunt graveolentiam, lacunorum putorem, Memphitium putredinem: graviterque irascuntur omnibus, hircum olentibus, vel impudicitiæ fœtorem exhalantibus. E-contra sereno lætissimè gaudent cœlo, collium aprico, pratorum amœnitate, florum fragrantiâ, hortorum variis delitiis. In his, alas suas ad volatum iucundè explicant tripudiant, & innocentes trahunt moras.

1 9. Hist. c. 40.

Corda. 4. Georg. 49

5. Quæ vel qualis mentis puritas dominata fuerat in pectore Chatarinæ nostræ, ex mirabili colligere licet visione quâ Christus ipsam dignari voluit dum vix sextum ætatis attigisset annum. Apparuit illi nempe sponsus divinus solis adinstar incenso lumine circumdatus; Principibus Apostolorum, Petro, Paulo, & Ioanne Baptista sociis. Et quid aliud hic concipere liceat, quàm puritatem infinitam, dulcissimâ quadam Sympathiâ tractam fuisse, vel saltem redditam familiarem; cum excellenti cordis Chatharinæ purita-

ta-

tate ? Quid aliud ! quàm Speculum omnis maculæ expers, oculis parvulæ nostræ benignissimè se se præsentasse, ut tam glorioso obiecto inamorata, & ipsa similiter ad gloriosos raperetur profectus ? Quid aliud, quàm omnium pulcherrimum totius Vniversi Lumen, claritatis suæ radios supra ipsam diffudisse, ut omnia, quæ posthac exercitatura esset, opera, opera fierent lucis; & oculos animæ in tam miro obiecto semper defigendo, mereri posset lemma, apibus adscribi solitum: *sub sole labor* ? Felicissima animula ! utpote cui, vixdum in via constitutæ, jam pascere licet pupillas suas in viæ termino, visione nempe beatificâ: vixdum in terra ponit vestigia, & jam admittitur, ut per Empyrei spatietur atria: vixdum, quid hominum socialis vita sit scit dignoscere; jam gratiam habet, experiri consortium Sanctorum; & ipsius præsentiam DEI. Magna sit, per me licet, dignitas Abrahami, quod jam jam 99. annos natus, DEUM viderit: *postquam nonaginta, & novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus.* Genes. 17. 11. Magna sit etiam IOANNIS Baptistæ, quod inter ruvidos deserti squallores, ad paradisi fuerit promotus delitias & corporales Agni cœlestis intuitus. *Vidit Ioannes IESUM venientem ad se, & ait: Ecce Agnus DEI.* Joann. 1. 29. Magna sit non minus Protomartyris Levitæ, quod jam jam clausurus pœnosam vitæ suæ periodum, felicitatus fuerit clarissimo Redemptoris aspectu: *Vidit Gloriam DEI, & IEsum stantem à dextris DEI.* Act. 7. n. 55. Majus longè mihi quidem videtur Catharinæ privilegium, quod, non in extrema senectutis canitie, sed in primo puerilis ætatis flore; non in horrido solitudinis secessu, sed in vitæ socialis frequentiâ; non propter effusum martyrij sanguinem; sed singularem cordis puritatem, digna fuerit reddita, ut eidem reseraretur cœlum, suavissimè salutaretur à nostro Redemptore; *& ab hac mellitissima visione* (utor verbis Historici) *extatico nectare, & indicibili ab hinc profluente dulcedine adimpleretur.*

6. In hisce verò divini solis radijs, dum alas suas distendebat apicula nostra, dum in illum omnes suos erigebat cogitatus, dirigebat desideria, arrigebat suspiria: ad amœnissimum invitata fuit hortum, mentis oculis frequentandum & lustrandum. Vitæ nimirum, factaque Sanctorum illorum Patrum Ægypti, Orientisque solitudines olim inhabitantium eidem fuère repræsentata: quibus deinceps, velut pulcherrimis floribus delibandis omnes mentis facultates applicabat. Itaque velut apis *studiosa florum, ab unoquoque vtilia colligens*, non solùm parsimoniæ rigorem, orationum frequentantiam, solitudinis studium, meditationum protactionem, flagellorum cruciatum, quo corpusculum suum afficiebat, imitari; verùm etiam à stupendo quodam fervore incitata, horridum aliquod, velut illi, desertum ingredi desiderabat. Itaque parvula ut erat, patriam domum egressa eòque progressa, ut amplius ædificia videri non possent, speluncam reperit obscuram, & in rupe quadam excavatam. Quam mira cum mentis hilaritate ingressa deinceps in Alvear commutavit; omni cum sollicitudine hymnorum, canticorum psalmorumque mellificio applicata.

7. Veniat modo quis quis videre desiderat thesauros in cavernoso terræ sinu collocatos: reperiet, & videre quoque poterit in nostra Catharina. Poterit videre similiter, aliquem virtutum solem, non jam spatiosam cœli amplitudinem decurrentem, verùm in excavatæ cryptæ tenebris occultatum. Poterit videre pretiosas margaritas; non quidem in maris profundo germinantes, sed in rupis cuiusdam visceribus delitescentes, Poterit videre corpus, quasi sine pondere, purum æmulans Spiritum, abstractum à pavimento & adusque speluncæ fornicem elevatum, ibique per multas horas virtute divina sustentatum.

8. Et cum hac mirabili corporis elevatione præmiavit equidem DEUS Sancta servæ suæ desideria; & simul etiam ut ad paternam domum rediret, inspiravit. I modò, Catharina

tina! paternos repete lares: Divina namque Providentiâ dispositum jam est; ut eiusmodi egregia virtus è Sylvarum sepulchro eruatur, & ad proximi profectum, mundi totius obtutui exponatur. I, repete Libenter: certa, quòd lilia puritatis non solùm pullulent in terræ sulcis, verum etiam in habitatis, feliciter germinent hospitiis. I secundis avibus: nam nec in patris domo tibi deerit cellula sylvestris mansionis vicem subitura: ved si demùm tibi denegari contigerit, in intimo cordis tui conclavi reperies eremi imaginem, & secessûs quietem. Vade denique; siquidem si desideras sentes; si rupium peroptas tribulos, si quæris Eremitarum austeritates, cumulatè tibi subministrabunt omnia tui proprij consanguinei: ab his continuò recipies, queîs exercearis, iniurias; queîs tribuleris, molestias; queîs merita accumules, frequentissimas occasiones.

9. Redit igitur ad paternum hospitium devotissima virguncula, secum portando sanctos, nisi habitus, saltem adfectus omninò religiosos. Et quid? septem duntaxat ætatis annos numerando, genubus in terram prostrata, elevatoque in cœlum corde, illibatum virginitatis florem DEI Filio, Sanctissimæque suæ Matri non solùm expresso voto consecrat, verùm etiam ad regularis observantiæ rigorem se, suasque facultates quàm maximè addicit. O quæ! qualisque tum erat Catharina! Etenim quando domesticis officiis exercebantur manus, ad ipsum Empyreum elevabatur animus: quando lingua solvebatur ad exprimendos mentis conceptus, unicum DEUS, Deique magnitudo erant obiectum discursûs: quando necessaria sumebantur alimenta, sumebantur admodum parcè; nam divina magis pascebatur dulcedine: quando claudebantur oculi ad captandum somnnm; mentis aperiebantur pupillæ ad contemplandum DEUM: quando fugi poterat hominum præsentia, fugiebatur equidem; interim verò tum expediebantur flagella, Lacerabantur membra, integra sanguinis evocabantur flumina, cruentatoque DEO quasi

quasi sympathica offerebantur victima. Animarum deinde Zelo Redemptorum à sponso suo, supra modum stimulata frequentiùs aliud & anhelosiùs suspirabat nihil, quàm S. DOMINICI habitum: quatenùs cum eodem posset Laborare, peccatores è vitiorum volutabro extrahere, & ad DEUM perducere.

10. Et in hoc vitæ tenore pedetentim ad nubilem pervenerat ætatem. Tum verò, superi! quàm adversis agitabatur; quamque molestiis tempestatibus; Genitores, Fratres, reliquique consanguinei passim aliud non intendebant, quàm ut Catharina Spiritûs remitteret fervores, conceptas extingueret flammas, veram filiorum DEI venderet libertatem, ac in tenaces Hymenæi catenas permutaret. Volebant unanimiter, & unitim, ut animam & Spiritum, Sponso cœlesti jam jam dedicatum, rursus ab eodem avelleret, & amanti cuidam terreno, verminosoque, per carnis affectum alligaret. Huc eorum omnia vergebant proposita tendebant studia, contendebant conatus, nullis unquam ommissis importunitatibus, violentiis nullis. Verùm quid agitis non satis benè Sani? an nescitis traditum de apibus à Mantuano:

Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In venerem solvunt?

Catharina velut apis, sensualium oblectamentorum irata hostis, priusquam incensa ponat Veneri, funestum tributum tribuet Morti: priusquam nuptiarum ascendat thalamum, ad tumuli descendet horrorem: priusquam virginitatis dissolvat cingulum, videre amabit abruptum vitæ suæ stamen. Interim Veneris hisce armis, niveus petitur animus, quatitur tormentis, urgetur assultibus. Et verò quàm in partem se se vertet in his angustiis misera? collectis intra se viribus, & ad resistentiam accincta, quamvis adhibuit diligentiam, ne penitus cogeretur se dedere victam. Cùm tuba Orationis cœlestem ad auxilium suum inclamavit militiam: cum meditationum frequentia, plus quàm aliàs cum divi-

divino sponso sponsalitia renovavit pacta ; deinceps verò subtrahendo corpori cibos, sanguinem venis, viribus vigorem, quantùm omninò poterat, amorosas conata est extinguere favillas, innocentem pectoris candorem denigrare tentaturas. Dehinc, O singularem animi magnanimitatem ! armando dexteram acuta novacula, piè severa, ut omnem rivalibus detruncaret spem, totum sibimetipsi truncavit capillitium : *capillos ad cutem usque pracidit.* Utique secum ita discurrere volens : quid mihi cum hoc ornamento muliebri ? nutrimento luxuriæ ? pompa vanitatis ? abeat in malam crucem, dumodo domesticas inter procellas naufragium non faciat virginitas. Pereat suus faciei nativus decor, dumòdo puritas conservetur & pudoris integritas. sint & serviant nutritæ comæ mundanis amatricibus, velut aureæ catenæ, queîs ad Sacra sua trahantur à venere, in triumphum ducantur à Cupidine : à meis, quæ penitus rescissæ sunt à me continuò admonebor me voluntariam esse, pariterque perpetuam Salvatoris mei captivam Servam. Felicior utique fuit Catharina nostra, dum sibi rescinderet crines & Samsone longè fortunatior ; utpote quæ post ipsam rescissionem vires non modò non perdidit, sed potius plurimùm adauxit. Usa non est capillamento suo, minùs abusa quemadmodum Absolon, ad auri mercatum, turpissimum probrosæ avaritiæ Authenticum ; sed potius ad captandum argenti candorem id est, cùm animæ, tum corporis puritatem, exinde plùs qùam antehac securam, & in tuto positam. Et si veteres antiquitùs truncando sibi capillos, ad præsentem se se disponebant Mortem : Catharina capitis ornamentum abscindendo, se se declaravit omninò mortuam, carnis scilicet illecebris, sensuum delitiis, cupiditatum illicitis irritamentis.

11. Cæterùm hac capillorum præcisione, quot quot fuerunt, extremè commoti sunt, & indignati consanguinei. Ut videri cuilibet potuerit, fuisse mutatos in flagella, queîs aut ipsæ vapulant Furiæ, aut faciunt ac feriunt furiosos. Strepitabat

bat Mater, vociferabatur genitor; toti familiæ visâ hac in opinatâ deformitate stomachus emovebatur. Undique & undequaque micabant iræ, tonabant indignationes, pluebant iniuriæ, præcipitabant convicia, resonabant sarcasmi, fulminabantur pœnarum & verberum comminationes. Verbo; Catharina mille mordacium, milleque auctissimorum dicteriorum facta scopus fuit, & improperiorum communis meta. Nunc audit pertinax, modò stolida, jam insulsa, continuò insensata. Nunc quoniam (dicebatur) in raso capite servilem præfert & ostendit animum, vilissimum, uti meretur, servorum in familia peragat ministerium. Arceatur posthac à cellæ Solitudine, prohibeantur amati secessus, trahatur ad labores, occupetur in purgandis vasorum sordibus; dometur, ut ut fieri potest, capitis durities, humilietur philautia; obruatur oneribus culinæ: atque quoniam inter delitiosas Hymenæi respuit gestire faces, sordeat inter fuliginosos Vulcani fumos. Hæc audit Catharina millies, hæc omnibus pene Momentis; immota tamen semper & imperturbata. Sufficiebat Catharinæ conscientiæ mundities. Hæc eidem Paradisi subministrabat delitias, facilitabat labores, condiebat improperia: portandoque supra cordis Altare Christum Crucifixum inamissibiliter, hyemis illius facilè toleravit rigorem, postquam hæc ipsa tolerantia candidam puritatis manu tenuit nivem. Iam verò quemadmodum apes, ne flantium ventorum vi tam facilè abripiantur, aliquos subinde lapillulos arripiunt, arreptósque tenendo; corpusculo suo pondus adijciunt: velut canit Italiæ Cignus:

Sæpe Lapillos

4. Georg. 194. *Tollunt, his sese per inania nubila librant.*

Ita Catharina, inter impetuosas paternæ domûs turbines, repræsentando sibi in Patre, IEsum Christum; de quo 1. Cor. 10. 4. S. Paulus: *Petra autem erat Christus*: in Matre; Sacratissimam Virginem; quæ aliàs: *Petra deserti*, dicitur: in fratribus & reliquis Domesticis, Sanctos Apostolos, qui, *&*

ipsi

ipsi tanquam lapides vivi, cognoscuntur; illos inter tumultus, tantâ fruebatur quiete, ut omnibus promptè serviret; omnes hilariter toleraret, sopitis deinde domesticis tumultibus gloriosam ab omnibus victoriam reportaret. Damus manus; O Catharina! porrigimus herbam, fatemur nos esse victos. Tantæ constantiæ, tantæ munditiei coronas nectant manus Angelicæ; non de floribus, quæ terra producit; sed de liliis, quæ paradysus progerminat, incorruptibiles, & immortales. Stabiliat, prout apprimè desiderat, cum sponso purissimos hymenæos. Etenim, quamvis fœmina, non amplius esse videtur fœmina, sed carne, sed figura, sed membris humanis indutus Seraphinus. Cœlum ipsum istis applaudit nuptiis: atque dum in specie columbæ inamoratæ supra caput illius Sanctus descendit Spiritus, præcipui Religionum Patriarchæ visibiliter eidem apparent; quatenus & Sanctarum istarum nuptiarum se se paranymphos exhibeant, & singularibus munijs gloriam adaugeant. Pro basi, prodigiosus Sanctitatis colossus, se se magnus exhibet Basilius. Pro impetrandis supernæ felicitatis Benedictionibus, ducem se præbet famosissimus Heros S. BENEDICTUS. Pro colligendis æterni Autumni fructibus, adiutorem offert se Sanctus Augustinus; pro facilitando Empyrei ingressu, ducem se præbet Seraphinus FRANCISCUS. Et inde, quemadmodum Græciæ contendebant civitates, ut civem suum facerent Homerum; quemadmodum Europæ præcipui Heroes laborabant, ut castæ Penelopes aquirerent affectum; quemadmodum universa suspirabant Sæcula, ut gloriosissimum Virginis Mariæ cernerent ortum: ita etiam, qui modò memorati sunt, Augustissimi Patriarchæ, quàm maximè aspirarunt, tam eximiam in hortum suum transferre plantam; tam nobilem in mare suum deducere margaritam; tam pretiosam coronæ suæ innectere gemmam. At verò Catharina radiantem in fronte S. DOMINICI conspiciens stellam, ac in dextra manu candidum lilium, illam, exemplo trium

1. Petri. 2. 5.

Magorium pro duce elegit, ad divinum reperiendum solem. Dein tanquam apis, pleno volatu contendens, ac adhærens lilio, habitui Scilicet S. DOMINICI, ab ipsomet Sancto eidem promisso, demum eodem vestita fuit, & simul indicibili solatio repleta. Et sic in urbe Senensi denuò fuit renovatum quod aliàs de Ponti Insula pro peregrino fuit habitum: Nimirum sicut ibi prout Plinius refert apes albo colore sunt insignitæ; ita vix præsens Catharina, velut apis Mystica, candidis integumentis prodit circumdata. *L. 11. c. 18.*

12. Iam verò sic vestita, sic optatis S. Dominici nivibus cooperta quodnam ad augmentum aspiraverit CATHARINÆ puritas, paucis nec dici potest, nec ennarrari. Taceo hic, quòd quovis Anachoreta rigidius, per tres penitùs annos continuum servaverit silentium; quòd veluti serenum cœlum, extractis vigilando integris noctibus, mentis pupillas semper tenuerit apertas: quòd nunquam assumpserit cibos, quin priùs copiosis, Iobi adinstar, perfuderit lachrymis, quòd ad Pallium perfectæ virtutis tanquam magnanimus equus, pleno contenderit cursu; animata duplici rigore; flagellorum nempe castigatione, & ciliciorum asperitate: quòd sicut Sponsus Crucifixus, alibi, quàm supra durissimum lignum nunquam sumpserit somnum, sicuti pœnosum, ita admodum brevem: quòd, tanquam Cherubinus, alia de re locuta non fuerit, nisi de DEO: quòd sicut Seraphinus, cœlestis amoris exhalando flammas, in quovis auscultatore, magnos excitaverit, itidemque religiosos ardores. Hæc, inquam, omnia tacens prætereo: solúmque, quod Christus de eiusdem sublimi puritate dedit, testimonium adduco.

13. Terminata ut erat quâ diù multúmque premebatur Anima Cathrinæ, obscurissima nox turpissimarum cogitationum, infamium phantasmatum & imaginationum ultra modum detestabilium; quatenus & Spiritum & vires reassumeret, apparuit ei Divinus Amator, velut clarissimus Sol. Adquem Catharina: ubi eras, Amantissime IESU! Ach ubi

ubi eras, tum, quando tam enormibus aggravabar insultibus? *Ubi fuisti mi Domine?* Cui Dominus: *Eram in corde tuo*: Aut, ceu Gubernator navis, vigilando, ne turpibus absorberetur procellis; aut, ceu militiæ dux, adlaborando, ne velut obsessum propugnaculum Tartareæ succumberet violentiæ; aut, ceu amantissimus Pastor, apprimè Zelando ne dentes suos eidem infigerent infernales Lupi. Iam verò N. si DEO complacuit in corde Catharinæ genialiter detinere se, quid cogitabimus hîc, quid præterea dicemus? quid? cor illud, eburneum fuisse thronum in quo Pacis Princeps gratanter considebat. Quid? stellatum fuisse cœlum, in quo velut in lucido conclavi lucis commorabatur creator. Quid? Templum fuisse, templumque Sanctum, in quo ferventissimarum precum acceptabat thymiamata, adorabatur incensa. Paucis: si, prout communiter asserunt Philosophi locus proportionari debet locato, utique cor Catharinæ puritatem possedisse debuit omninò Angelicam, quæ ipsi puritati divinæ gratissimum præbuit hospitium. Et quid porrò mirum, quòd quemadmodum modò dictum, DEO plena, Prophetiæ Spiritu, tam excellenter fuerit illustrata? quòd gestando Patris sapientiam in corde, doctrinam illam hauserit, quæ nullam aliam agnoscit, præterquam Empyrei scholam? quòd, secum habendo Salvatorem, tam promptam ægris impertita sit, tamque miraculosam sanitatem? quòd, in corde portandum IESUM, etiam in proprio vultu, qui Speculum interni hominis est, reflectere fecerit eiusdem Amantissimi sponsi sui suavissimam fomam, & ipsissimam lineamentorum amabilitatem? quòd, impressum in visceribus gerendo Crucifixum, Sacratissimarum plagarum cum paucis obtinuerit privilegium, & stigmatum characterizationem? quòd pasta ab illo, qui veræ vitæ panis est subinde quàm plurimos exegerit dies, aliam corpusculo suo non præbens refectionem, quàm quæ per Sacratissimi Altaris dispensatur Sacrificium.

14. Non minùs insolitum ac prodigiosum est, quod à Sancto refertur ANTONIO; nempe quòd apes, è melioribus, quos è floribus colligere poterant, succis, cum admirabili industria fabricaverint ædiculam, & in eâdem Altare parvulum ad excipiendum Sacratissimum Angelorum panem, in alveari forte reconditum. Majori prosequi non poterant honore; nec colere reverentiâ tam stupendum mysterium. Et verò quis diffiteri audebit idem prodigium in Catharina nostra renovatum? siquidem pectus suum tam solenniter consecraverat Sacratissimæ Eucharistiæ, ut vivum ritè videri potuerit Templum, vivum Sanctuarium, vivum tabernaculum. Arsit in eiusdem virgineo sinu desiderium quoddam inexplebile, & meditari, & colere & frui quoque hac beatissimâ Mannâ. Nullum alibi sensit solatium, nullum aliunde percepit Vigorem, quàm ex gratiæ mammellis, in hoc tremendo mysterio propinatis. Oculi Aquilæ tam delitiari nequeunt in materiali, quàm Catharina iucundari consueverat in hoc Spirituali sole. In candidis hisce liliis, in purpureis illis rosis, in quibus Redemptoris nostri perpessæ pœnæ repræsentantur, veras reperit, & unicas delitias Apis nostra. Vt adeò, conformiter effato Apostoli, perhibentis: corpora fidelium esse templa, Spiritui Sancto consecrata, anima Catharinæ, corpus item ac pectus Bethlemiticum fuerint domicilium, aut saltem Basilica quædam, Eucharistico pani Architectata.

15. Neque DEI duntaxat obsequiis, verùm etiam proximi servitiis dicaverat omnem industriam suam Apis Catharina. Huc studium, huc laborem, huc omnem adhibuit conatum, ut proximi sublevaret indigentiam, seu corporalibus id fieri posset, seu Spiritualibus mediis, indifferenter solicita. Quasi visceribus suis insculptum gestaret, & apibus proprium Lemma: *Sic vos non vobis*: quid quid in paterna domo reperiebat repositum habito prius à patre consensu, totum cum generosa manu in pauperum profudit subsidium. Eandem, quam avarus adhiberet, ut corraderet, & col-

colligeret, adhibuit Catharina diligentiam, ut distribueret & erogaret. Multoties, quos suæ puduit egestatis, eorum prævenit petita. Morbis opressos, vel quomodolibet infirmos, si quos sciebat, vento citius accurrens, fovit, iuvit refecit, recreavit, prout facultates permiserunt, si quandoque gravissimis, queîs obnoxia erat, infirmitatibus, adeò torqueretur, ut se regere non posset; cùm aliis succurrendum erat, roboris & virium satis habuit. Quid? quòd, si contingebat, eam morbi violentiâ languere, consumi, lecto affigi, viribusque penitùs destitui; charitatis ardor, tantam Catharinæ contulit efficaciam, ut ferendis in pane, vino & oleo plùs quàm centum libris, sufficeret, & ad pauperum calamitosorumque domos deportandis. Adiuvandis egenis dum aliud non suppetebat, quondam cruculam collo detraxit argenteam, ex devotione singulari gestatam. Quondam rigente hyemis frigore, subuculâ quoque se privavit, ad omnimodam se se deductura nuditatem, si modestia permisisset & honestas Virginalis. Neque contenta, subvenisse miseris cum propriæ domûs substantia, illuc adlaboravit, ut ijsdem succurreret, etiam manuali labore, & corporeo ministerio. Vnde sæpe sæpius infirmis quibuscunque, seu ulcerum putredine fœtentibus, seu tabis marcore squalidis, seu pestis contagio horrendis, seu quantalibet alia enormi ægritudine fugiendis cum omnimoda affectûs teneritudine porrexit cibos, adhibuit medicamenta, ligavit plagas, reliquaque quæ excogitari possunt, præstitit obsequia. Unde quis non ineptè dixerit, Apem nostram Virgineam, illud naturæ prodigium, quod Samsoni argumentum Ænigmatis præbuit, renovâsse, atque mel in faucibus marcidorum cadaverum composuisse.

16. Et quid? Anne fortassis abominabilibus eiusmodi morbis territa fuit, aut marciditatè revocata? Leprâ, v:g: cuius solus intuitus sensus commovet, & horrore percellit? nullatenus: nam susceptâ cuiusdam leprosæ curâ, animo constanti & invicto, & omne, quamdiu vixit opportunum

impendit servitium, & ultimam morientis curavit agoniam & demum ipsi cadaveri, tametsi multis fistulis exulcerato propriis manibus dedit sepulturam. Anne fœtore offensa fuit, aut nauseâ repleta cuiusdam cancro loborantis? minimè. Nam ad curam tam horrendæ plagæ, tanto cum iubilo se accinxit, cum quanto, alius quivis amœnissimum hortum frequentaret. Superando deinde cum heroica longanimitate horrorem internum, â putridissimo ulcere delicatæ eius complexioni provocatum; tum ipsam infirmæ malignitatem, à qua sæpius multis calumniis fuit denigrata, apis adinstar reddidit, *pro malo bonum*, & amaram thymum, quâ pasta fuit, in mellis convertit dulcedinem. Anne fortassis acta fuit in fugam, ut pestis evaderet periculum? Non equidem. Quin animatis illis carbonibus ardentes opponendo flammas suæ charitatis: accedendoque ad lectos infectorum, & suavibus verborum lenociniis, molestiarum demulcebat tolerantiam; & aptatis manuum servitiis, inter violenta queîs cruciabantur, incendia, præsentanea, & propè miraculosa submistrabat refrigeria.

17. Cæterùm, cùm CATHARINA, quàm maximè zelata fuerit salutem animarum, divino sanguine redemptarum, quis concipere, quis dicere, quis enarrare sufficiet, mirabilia quæ fecit Apis nostra, ut perversos ad Salvatorem revocaret? complexa enim erat & mel, ut pasceret ceram, ut illuminaret; aculeum, ut stimularet incitaretque ad semitam virtutum, peccatores omnium maximè perversos, contumaces, & obstinatos.

18, Admirationem meretur, quod olim ab apibus S. Medardi factum circumfertur. Cùm enim temerarius quidam prædatus esset mel, impensis Ecclesiæ confectum, apes tanquam à DEO constitutæ Ministræ Iustitiæ, conceptâ irâ furere, in temerarium insilire, aculeos stringere, tam sensibiliter pungere, tamque diu confodere quousque demum ad Sanc-

tum

tum Episcopum accesserit, ad eius se pedes abiecerit delictum suum confusus accusaverit, & veniam humillimè supplicaverit.

19. Æternâ dignum memoriâ est, quod Dionysio Syracusano successisse narrant Iullius, Plinius, & Elianus. Etenim antequam ad regnum pervenerat, iter faciens, equum in fluminis cuiusdam vadum adegit, ad alteram ripam transiturus. Hoc autem in altâ quâdam & lutosâ fossa hærente, cum omnes nervos omnes quoque vires intendisset, ut equum inde extraheret: demùm frustra conatus omnes consumens abire coactus est, animo multùm amaro, multumque cruciato. At verò quid? Paulò post, audito post tergum hilari hinnitu, respiciens, vidit, equum sua vestigia citatis passibus insequi, supra cuius comos apum examen quietissimè considebat. Poterat hinc clarè colligi, quòd, quemadmodum Dionysius apum aculeis fuit coactus, ut à fossa resiliret, & in tutum se reciperet, ita pro mercede accepti beneficij, generosus ille, supra currum crinium suorum easdem acceperit & in triumphum duxerit.

Cicer. l. de Divin. Plin. l. 8. c. 42. Ælian. de Var. Histor.

20. Atque hæc cùm ita se habeant, quid jam dicam de Catharina, Ape cœlesti & sanè mirabili? fuerint licet quorundam animi, quàm maximè contaminati, & vitiorum excessibus penitùs immersi; fuerint licet, *in limo profundi, & in luto fæcis*, seu in omnium turpitudinum etiam abominandissimarum cloaca sepulti; fuerint licet velut equi, superbiâ inflati, fastu tumidi, ad effrenes lascivias proni, ad sumendam vindictam proclives; fuerint licet in ipso inferni præcipitio jam jam constituti; Apis tamen nostra cum aculeata suâ virtute, cum admirabili quadam efficacia, cumque arcano quodam vigore rursus ex illo damnationis profundo feliciter extraxit, cœli semitam decurrere docuit ac ita ad æternæ salutis portum deduxit. Vbi sanguinem penè sudant, multi prædicatores, & Evangelij Ministri, ut aliquem blasphemiis deditum, in vitiorum veterno sopitum, in variis sacrilegis

legis excessibus induratum, eò persuadeant, quatenus scelerum nefanda delicta agnoscant, veramque pœnitentiam concipiant: Catharina cum facili felicitate, aut felici facilitate eos excitat, è profundo lethargo evocat, atque contritionis lachrymis lavatos, cœlo rursus regenerat. Vbi publici legum transgressores, ad faucium in patibulo fractionem jam jam conducti cum diabolicâ quadam pertinaciâ, pias admonitiones respuunt scelerum suorum agnitionem abhorrent, affectus suos indurant, & omnem cordis dolorem, de facinorum suorum enormitate concipiendum, excludunt; Catharina illa est, quæ pertinaciam frangit, admonitionibus pondus conciliat, facinorum enormitates ad vivum repræsentat, agnitionem eorum instillat, affectibus duritiam aufert doloris teneritudinem insinuat, sicque rabidos lupos, in mansuetos simul ac patientissimos agnellos permutat. Demùm ubi quispiam alius, in humana figura feroces alit tygrides, odia cudit implacabilia, humanum furibundè sitit, & crudeliter effundit sanguinem; proximum miserè trucidat, & interim silicem fovens in pectore, quævis etiam sanissima consilia reijcit, & maximè proficua documenta; tandem Catharina, illa est, quæ obstinationem emollit ex eiusmodi pumiceâ rupe pœnitentiæ aquam prolicit, & pacis pretiosum oleum. Sanè vires excedunt humanæ eloquentiæ, quæ fecit, egitque hæc Virago Apostolica. Ac ipsi scelerati, quos ex inferni faucibus eripuit; obstinati, quos emolliit, & ad Redemptoris obsequia inflexit; Mundani, quos à sæculi vanitatibus divertit; fumigantes inferni titiones, quos in splendidas firmamenti faces permutavit non succincti cuiusdam discursûs obiectum sunt, sed formatorum, numerosorumque voluminum immensa materia. Nullus unquam Catharinæ locutus fuit, aut eam solumodò vidit, quin intrinsecus immutatus, aut Sanctis eiusdem fervoribus accensus non sit. Ingens ad eam Semper concursus fuit, omnis ætatis, omnis conditionis, omnisque sexûs hominum; cuius deinde virtute, meritisque innata pectoribus frigora pellebantur

pœ-

pœnitentiæ doloribus corda contercbantur, atque ex omnium oculis effusi lachrymarum rivuli præcipitabantur. Nemo ad eam unquam accessit, quin aut in alium non fuerit omninò mutatus, aut in affectibus correctus, aut moribus melioratus. Centum loco periodorum, formatique panegyrici, quæ hîc inserta sunt, hystorici possunt esse verba: *si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, non sufficerent ad explicandum fructum animarum, quem attulit Virgo Christi.* Ut iure proin, meritóque gloriosum illud, quod Sanctæ Ceciliæ Sancta Decantat Ecclesia, encomium ad Catharinam transferam: *Famula tua Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit.* Et quid porró de centum aliis dicam prærogativis, quæ tanquam aureus annulus insignem api nostræ contulêre gloriam? Tacebo hîc, quòd humanas à nemine penitus didicerit literas; formatos interim scripserit libros, sublimi sapientiâ ultra fidem refertos; solveritque nodos gravissimorum dubiorum circa divinitatis arcana, à famosissimis Theologis propositorum. Tacebo rursus, quòd linceis oculis cordium penetraverit secreta; animarum, quamvis invisibiles sint, accuratè perviderit statum; prodigioso quodam modo prophetiæ luxerit Spiritu. Tacebo similiter, quòd ad aliorum sustentationem & panem multiplicaverit & vinum; quòd ab ægris corporibus fugaverit febres, eiecerit dolores variarum quoque frenaverit anxietatum acerbitates. Quòd ex obsessis miserè corporibus stygios migrare coegerit habitatores. Tacebo præterea, quòd multis jam jam in agone constitutis, vitæ protraxerit annos; quòd Matrem à mortis revocaverit umbris; quòd sanguine sibi coniunctos à pœnosissimis purgatorij liberaverit cruciatibus, quódque plurimos alios ab ipsis inferni flammis tutata fuerit. Tacebo denique, quòd, pro tractandis certis, ijsdemque gravibus negotiis ab Vrbe Florentina missa fuerit ad Sanctam sedem; quòd à Gregorio XI. itemque Vrbano VI. declarata fuerit Apostolica Nuntia; quódque propterea laboriosa sæpius susceperit itinera: Florentiâ Avenionem;

Avenione Florentiam, & rursus Forentiâ Romam : illud tantummodò dicam, quòd gravissima incommoda, queîs affligenda, longúmque schisma, quo laceranda erat S. Ecclesia, prævidérit, rapta dein videndo in Spiritu, quòd ipsa Orbis Vrbs Roma, à Dæmoniis nescio quibus in id duntaxat intentis, quatenus horrendos excitarent, & sacrilegè sceleratos excessus, erat occupata : cum incredibili devotionis affectu & fervore, divinæ se se obiecit iræ, aut, ut sola feriretur, obtulit; dumodo cùm magnæ huic Vrbi, tum Sanctæ quoque parceretur Ecclesiæ. Itaque sponso suo crucifixo consimilis, nisi pro omnium, certè pro Romanorum salute, mille pœnis, milleque subiacuit cruciatibus : torta dein acutissimis doloribus, qui lectulum ipsius in flammeum converterunt currum; â stygiis etiam larvis sævissimis excepta verberibus, omnibusque fidelibus in exemplari vitæ suæ, veram omnis virtutis relinquens ac omnis perfectionis normam, vinculis mortalitatis extricata, Spiritum emisit, atque ad cœlestes splendores queîs æternùm iucundaretur, pleno volatu evolavit.

21, Nobile quoddam ingenium, videns apem electri guttulis, ex trunco ibidem destillantibus, implicitam, involutam, congelatam, & sepultam, Eccum ! aiebat :

Et latet, & lucet Phaetontide condita gutta,
Vt videatur apis nectare clausa suo.

Martial. lib. 4. ep. 32. Vt adeò hæc apis, rara felicitate, & dies vitæ transegerit inter flores, & terminaverit inter gemmas : vixerit intra mellis dulcedinem ; obierit in succini flavedine : & succedente straminco alveari, cellulæque cereæ gemmeâ tumbâ, non in aureo palatio, quemadmodum Nero ; verùm in cubili longè pretiosiori, longéque digniori æternùm condita iacuerit. Sic nimirùm Divina disposuerat Sapientia, ut pro tantis suis laboribus, alendo lumini servientibus, pretiosâ quoque luce fulgurantem nancisceretur urnam :

Dignum tantorum pretium tulit illa laborum,

Et

Et quid à me nunc exspectatis N. ? si DEUS à Prophetis fuit visus, *quasi species electri*, tum apis nostra in Divini electri sinu gloriosam adipiscitur, beatámque requiem. Abdidit illa quidem se, sacroque velo à mortalium abscondit oculis: At modò Sanctorum splendoribus aggregata, & ipsa fulgurat splendetque: ut de ipsâ dici meritò possit, *Et latet, & lucet.* Quæque antehac inter spinosa Crucifixi vixit tormenta, ad cœlestis regni modò permota fuit diadema. Demùm si cruentato Agnello desponsata, inter mille cruciatus miseram traduxit vitam, ad æterni Monarchæ felicissimum deducta est thalamum: Ezech. 1. v. 4.

Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.

Cæterùm, cùm quorumdam Interpretum opinione, sapiens adhortetur: *Vade ad apem & disce.* Vos modò N. una mecum venite, apis istius argumentositatem considerate, atque, quatenùs ad æternam felicitatem pervenire possitis, directionem ab eâdem addiscére studiosè satagite. Et si â teneris jam jam ætatis annis omnes affectus suos sensuum consecravit macerationi hinc vos addiscite, cùm pœnitentiæ tum pietatis fructus maturè facere, & non extremæ senectutis ætati reservare. Dein si non intra deserti rigorem verùm intra paternæ domûs parietes inculpabiliter vitæ suæ transegit dies, hinc ipsi vos addiscite etiam intra ipsos mundi strepitosos tumultus in ipsis vobis fabricare solitudinem, ac inter vitiorum occasiones tam virtuti, quàm Christianæ Philosophiæ fideliter præbere tributum. Si dein ad magnam naturalis teneritudinis iniuriam, corpus conscidit flagellis, viscera extenuavit ieiunijs, membra debilitavit caumeniis, discite vos hinc, recalcitrantium sensuum domare rebellionem, & ab ipsis voluptatum adulationibus virilem reportare victoriam. Si per totum vitæ cursum nunquam mortali fuit inquinata macula, addiscite vos inde execrandam implacabiliter odisse peccati turpitudinem, & gravium culparum detestari deformitatem. Demùm si mundo, pedibus calcato, Semper in DEO absorpta Proverb. 6.

aliud unquam non cogitavit, non ambivit, non procuravit, præterquam salutem animarum; & gloriam Creatoris; vos apis huius purissimæ sequendo volatum, atque cum observantiæ supernæ legis, divinum glorificando legislatorem, cum Catharina capaces vos reddite & beatæ mercedis, & sempiternæ retributionis.

Cæterùm si vos N. dum hactenus circa apis occupabar alvear, à me nec stili recreati estis suavitate, nec argenteæ vocis amœnâ sonantiâ, sed aspero potius æris obtusi vel impleti strepitu, veniam date Benevoli. Nam si, quod Plinius observat apes *gaudent plausu atque tinnitu æris*, æquum erat, ut ego de apibus sermonem faciens, exhiberem me,

1. Corint. 13. 1. *velut æs sonans aut cymbalum tinniens.*

POR-

Portenta Ægypti.

PRO FESTO S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ.

TRIBVTVM QVINTVM.

Species eius ut Libani. Cant. 5. 15.

I.

INter Spectatiores totius orbis provincias, dubio procul, etiam Palæstina est. Etenim uti prodigiis abundat, ita quosvis aut habitatores, aut eiusdem historiæ lectores in admirationem rapit. Solæ montis Libani qualitates infinitam propè præbent obstupescendi materiam. Mons iste latera sua in immensa dilatat spatia; & vasto circuitu magnam Iudeæ cingens partem cùm pro emminente servit vallo, contra sævas barbarorum irruptiones, tum ipsis habitatoribus pro fortissimo muro, contra quoslibet hostiles insultus. Et ex una quidem, si respiciatur parte, antiquissimis, iisdemque confertissimis quasi suffocatus plantis est; quæ deinceps obscuras nutrientes umbrarum caligines, horrenda monstris quibus

buslibet aperiunt cubilia, Pardis, leonibus, tigribus; aptissima receptacula. Ex altera verò consideratus parte, & fontibus dives est, & rivulis, qui toti limpidi, totique depurati per rupium anfractus decurrentes, pretiosæ videri possunt argenti scaturigines; amœnitatem, iucunditatemque tam exquisitam exhibentes: ut ansam nonnullj dederint in alterius laudem dicendi: *Gloria Libani data est ei.* Cæterùm Mons Libanus nivibus Semper coopertus est; quæ in duram callescentes glaciem perpetuam in abruptis illis declivitatibus conservant hyemem; interim tamen; quod miraculo proximum etiam cœlo delapsus ros, in lapidam condensatur Mannam; cuius effluvia, Cedrorum odoribus commista, nobilissimam circumcirca Spirant fragrantiam, & incensorum suavitatem. Vt adeo in monte hoc, non solùm veris reperiantur amœnitates, cum hyemis rigoribus confœderatæ; verùm etiam terrestres Paradisi delitiæ cum Monstrorum horroribus, ipsiusque inferni terroribus inseperabiliter maritatæ.

Isa. 35. n. 2.

2. Et verò si hæc, quæ modò narrata sunt de Libano monte, ritè mecum perpendo quandam hodiernæ peccatricis MARIÆ imaginem mihi ræpresentari concipio. Habuit ista in Regno Ægypti Natales suos, obscuros sanguine, moribus obscuriores: credique poterat, omnes in sinu suo collegisse Nili immunditias, & quaslibet illius superstitiosissimi populi obscœnitates. At postquam suos agnovit errores, doluitque vehementer, in eorundem emendationem oculos suos in duos mutavit fontes planctuum, inque duos lacrimarum continuos torrentes. Et quamvis dissolutionibus penitus immersa, speciem præbuerit, puriotibus affectibus ianuam clausisse inque cœli semita nivis adinstar aut glaciei refriguisse; posthac tamen, charitatis flammis accensa, per hoc quaqua patet, Vniversum, virtuosam emisit fragrantiam, mirrhæ nimirum amaritudinem, & devotionis incensum. Venite; vos equidem invito, N. venite mecum spectatum hanc Ægypti incolam spectatum veluti Montem; plenum umbris &

spect-

spectris, dum adhuc scelerum erat involuta culpis: Spectatum veluti montem sulcatum rivulis & fontibus quando in contritionis colliquabatur lachrimas: spectatum, veluti montem mirrhæ & incensi, quando cœlo se consecrabat, & cœli obsequiis. *Species eius, ut Libani.*

3. Horrida, (nam inde præsenti discursui dabo principium) horrida montis Libani species est, N: non solùm propter plantarum multitudinem, queîs undequaque intricatur; verùm etiam propter ingentem ferarum numerum queîs ibidem receptis teter & abominabilis redditur. Erigit equidem eminentem verticem, ut cœlo inserat; ut propter monstrorum, queis latibula præbet, truculentiam, & propter singularem, quem ingerit funestæ solitudinis horrorem, absimilis inferno non est. Iam verò si liberam attentè consideremus Ægyptiæ nostræ petacitatem, Montem non minus exhibet; & altum quidem, sed horribilem; famosum itidem, sed etiam infamem; apertum denique, sed lasciviæ Spurcitiis tam occupatum, ut perditis affatim, & cœli intuitu, & solis æterni luce, fatalibus tenebrarum horroribus penitùs opressa iacuerit. Nam appositè Doctor ait Angelicus: *Cæcitatem mentis primam luxuriæ filiam esse.* 22 Q. 153. a. 4. Erat MARIA venusta aspectu, mente polluta; juvenis in vultu, in licentiis inveteraat; Spirituosa ingenio, genio contaminata; amabilis in conversatione, scandalosa in moribus: DOMINA cordium, captiva vitiorum; ambita extremè â numerosa amasiorum turba; infestata internè â magno Monstrorum exercitu; paucis: erat sub specie fœminæ quædam caverna, habitata ab horroribus; quædam sylva, suffocata à spinis; quidam Libanus venenosis æque ac trucibus monstris populatus. *Species eius, ut Libanus.*

4. Referunt nonnulli Cosmographiæ periti, Montes Amana Sanir, & Hermon, quorum in Sacris litteris mentio fit montes non esse diversos, aut ab invicem realiter distinctos; sed varia Libani iuga, multiplicatosque clivos; cum quibus

Mons

Mons iste superbus speciem refert; ac si cornibus suis firmamentum petat, & ipsas continuò stellas impetat. Veritatem si quæ subsit huic opinioni modò non moror, examnient historici. Illud mihi compertum, quòd RVPERTVS Abbas in præfatis hisce iugis, inhumanas effigiet qualitates, perversæ sceleratæque animæ. *Amana*, dicit RVPERTVS, *populus vanus intelligitur*; *Sanir, hispidus*; *Hermon, Anathema*. Et verò quis non perspicit, huiuscemodi monstruositates in Ægyptiâ nostrâ collectas, & concentratas? vana supra modum in ornatu & mundo muliebri, omnes in corde suo volvebat curas exceptâ duntaxat illâ, quomodo salus procuranda esset animæ, & felicitas vitæ Sempiternæ. Facilis, mollisque sensuum suggestionibus; hispida, intractabilisque conscientiæ synteresi: sepiendo spinis aures, sopiendoque, ne sana deberet audire consilia. Animam circumferebat, hystrici similem, scelerum sentibus asperam; vitiorum spinis undique circumfusam: & veluti trophæum esset, inferni portis appensum ac à depravata sua malitia obscenissimis Asmodei obsequiis duntaxat consecratum, de nulla re magis gloriabatur, quàm, esse se, quot quot haberet cœnosa Ægyptus, omnium spurcissimam, omnium dissolutissimam, omnium scandalosissimam peccatricem.

5. Aiebat olim S. BERNARDVS de MARIA, Virginum speculo, fuisse ipsam gratiâ plenam in seipsa: at superplenam respectu aliorum, quibus elargiendæ erant gratiæ, *Plena sibi*, (verba sunt Sancti) *aliis superplena & supereffluens fuit*. Et quid MARIA nostra, peccatricum fæx. Fuit & ipsa plena sordibus in se ipsa: super verò plena, ad inficiendas integras civitates, vastissimasque provincias. Non tot ex se vibrat animatus carbo scintillas, quæ suscitent incendia; non tam perniciosam ex se ferrum generat, rubiginis tincturam, quæ corrodat corrumpatque, quidquid attingit; non tam dirum ex visceribus suis vomitat serpens venenum, quod occidat & interficiat, quidquid afficit, quantam passim dif-

diffundebat pestilentiam impudica hæc atque inhonestissima fœmina. *De carbonibus scintillæ diffiliunt* (discursus est S. CYPRIANI) *de ferro rubigo nascitur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam.*

6. Acutè, ut more suo semper, observat S. Chrysologus, quod S Lucas, discurrendo de Magdalena, non satis habuerit, dicere ; *ecce mulier, quæ erat peccatrix.* Ut nempe denotaret, quòd MAGDALENA non tantùm in secreto, intra privatas domûs suæ parietes, aut aliàs quomodolibet abscondité impegerit, quò aliàs & ætatis iuvenilis lubricitas, & sensualitatis importunitas solent præcipitari : verùm, quòd ruptis modestiæ habenis, publicè, in frequentato foro, audacter, infrunitéque prævaricata fuerit : nullatenùs curando contemptum, infamiam, & honoris iacturam : & minus adhuc, quòd ita vaga utendo venere, facta fuerit Petra offensionis, immenso, infinitoque propè populo. Peccabat igitur *in Civitate*, id est, cum manifesto totius civitatis præiudicio ex offensione: *in civitate.* Nam explicando quaquaversum libidinis vexillum, quotquot videbat, tot etiam sollicitabat, cum armis impudicitiæ pugnare contra cœlum, & præcipitare se in culpæ mortisque barathrum ; *in civitate* : siquidem, quemadmodum pomum fracidum inficit vicinum quemadmodum ovis morbida contagium transfert in gregem ; quemadmodum corpus peste infectum, solo halitu proximo communicat pestem ; ita MAGDALENA per totam urbem suæ turpitudinis diffundebat, afflabatque abominationem. Quam ob rem eiusdem culpâ, tota civitas, erat offensa, contaminata & infamata. *In civitate peccaverat, quia fama sua famam totius tetigerat civitatis, sicque jam non peccatrix solùm, sed totius civitatis fuerat ipsa peccatum.* Chrysol. ser. Et verò, quid dicetur de Maria Ægyptia ; quæ nata quidem, sed ubi, quove in loco, præcise non scitur ; nata inquam duodecim annos, impatiensque, quòd à progenitoribus suis custodiretur in paterna domo ; stimulis impudicitiæ agitata clam Alexandriam

se contulit : illum in finem, ut quo major erat inhabitantium numerus, eò magis eiusdem impurissimis desideriis fieret satis ? quid ? quòd civitas illa, quæ magni Alexandri fundatoris sui gloria fuerat illustrata, huius infamis mulieris turpitudine sit rursus deturpata. Sanè tam abominabiles secum non fert spurcitias, Nilus, qui prope mœnia urbis illius decurrit, ac illæ fuerunt, quæ huius prostitutæ contaminaverunt sinum. Erat honestatis fœminilis inimica iurata; frequens in infamissimis prostibulis; exposita & obvia quibuslibet dissolutionibus; non sollicitata, sollicitans ipsa lascivos; avidissima, non auri ut aliàs anhatum huiusmodi mortalium fœci; aut probrosæ mercedis; sed sollius impuritatis: omnibus abblandiens, omnibus se offerens omnibus indulgens omnibus satisfaciens. Nunquam lassata, nunquam, satiata, sed Semper famelica; semper avida, carnis nimirum, ut Lupæ solent. Arsit continuis incendiis Maria, & quidem veluti Mons Chymera, cuius flammæ copiosissimis etiam undarum diluviis magis irritantur Similis Dipsadi serpenti quippe quo plus potabat plus sitiebat aquas, sitim alens inextinguibilem. Similis pisci Lucernæ; siquidem immersa cuidam obscenitatis pelago, nunquam remittebat indignissimas flammas. Similis illi mari, cuius ipsa portabat nomen; etenim recipiens in sinu suo infinitarum impudicitiarum flumina, nunquam dicebat, *sufficit*: quin imo, quemadmodum mare reciprocis inquietatur fluxibus, & refluxibus; ita ipsa continuis agitabatur impuritatum procellis. Nisi fortassis animatum dicere velimus infernum; quandoquidem malè feriatis, portæ semper erant apertæ; ipsius flammæ nunquam diminutæ; fœtores ipsius inferiores non erant stygiâ palude, aut ipso Acheronte. Quorsum utique allusit S. AVGVSTINVS: *Pro inferis ponitur* domus meretricis.

7. Verùm enim verò nullatenus contenta opprobriorum suorum putore contaminâsse, & regiam Alexandriæ magnitudinem, & ipsius Ægypti vastitatem; quatenus putridis-

tridissimum contagium Iudææ quoque inferret, mare traiecit: promptissima, si modo possibile fuisset, ipsa inficiendi elementa stellas, & firmamentum. Aliud in mente non volvebat, quàm fornicationes, quàm stupra, quàm adulteria: *sicut vacca Lasciviens* (liceat cum Propheta dicere) se se publicè commiscens, & impudicis assultibus, velut voluntariam se metam offerens. Probrosa Venatrix: portans in crinibus retia, in superciliis arcus, in oculis sagittas, in sollicitationibus sibilos; invitans quoslibet obvios in amplexus, & damnata veneris commercia. Ac ut veraciter agnosceretur pro lupa; posthabitis mercede & lucro, tum existimabat, omnem se habere satisfactionem, quando cum humana carne fatigaverat voluptatem. Demùm ad maris litus se confert hæc infamis Syren, ac ut à nautis reciperetur in navim, pro naulo jam assuetam, ipsis vicissim exhibet inhonestatem. *Osee. 4. n. 16.*

8. Ingreditur itaque navim; ipsamet jam provisa cum fœtenti, quam in sinu gerebat, sentinâ. Ingreditur navim; & quamvis tranquillitas quietum tenuerit mare, ipsa effreni & effronti sua lascivia spumantem quantociùs excitabat tempestatem. Ingreditur navim; & clarè simul demonstrat, prostitutam Venerem non solere lavare se, sed vagari super aquas, Ingreditur navim; & simul evadit scopulus, ad quem impingendo, itinerantium honestas, infeliciter naufragetur, & submergatur. Ingreditur navim; sub tam scelesta saburra non eversam, prout debuisset, aut absorptam: etenim quia natant etiam in aquis cadavera. Demùm etiam egreditur è navi isthæc prostituta; & ponit in terra pedem dignissima, ut inferni calcaret abyssum. Ingreditur dehinc Ierosolymam, pacis urbem invitatura ad impudicitiæ decertationem: quin renovatura turpitudinum abominationes, olim, Salomonis tempore ab altera Ægyptia introductas. Et eò se conferens, ubi Sacrosancta Christi Crux erigebatur, illuc studium suum adhibuit, ut veluti Calvariæ Mons

ab Adriani adusque Constantini tempora â veneris statua fuit occupatus; ita modò Mons Syon à vituperosa huius nefandæ veneris præsentia de novo redderetur deturpatus. Verùm vehementer deciperis malè sana: quidquid prophanum, â sacri huius fani ambitu debet esse exclusum. Non recipit DEI domus, quale ipsa es, Monstra, & Dæmonia. Eiusmodi divini pastoris atria oves ingrediuntur mundæ & purificatæ non verò infames lupæ aut fœtentes Leænæ. Et hinc quamvis immixta turbæ, ter quaterque conata fuerit Sacram ingredi domum, ter tamen, quaterque validâ, attamen secretâ vi fuit repulsa, & cum extremâ suâ confusione retroacta.

9. Desolata Maria! quantis, qualibusve tum agitabaris animi fluctibus? nunquam tantæ, quâ paulò ante ad illa devehebatur littora, circumserpebant spumæ navem, quantæ tum urgebant, & quasi suffocabant curæ animam. Tota suspensa, tota tremula, tota anxia, tota afflicta, tota frigida, tamque Spiritu perturbata, ut multùm absimilis non fuerit Monti Libano, ventis aquilonaribus perflato, & agitato. Sed enim felix auspicium, Ascultatores! Etenim hæc ipsa repulsa Mariæ commutatur in mirabilem magnetissimum. Nunquam ventus in pupi tanta cum velocitate propellit navim, quanta cum felicitate præsens hæc repulsa deperditam impulit carinam. Quorsum lubet, retrocedendo procedit cancer; pariter Ægyptia nostra, dum arcetur à templi ingressu ad DEI Sanctuarium mirabiliter deducitur. Fortuitò licet, non tamen sine fortuna oculos suos amarissimis lacrimis redundantes erexit, atque in pariete Divinæ Matris imaginem conspexit: memorque, quòd ipsa dulce miserorum peccatorum esset refugium, tota mœsta, tota contristata, tota doloribus immersa, ad eiusdem pietatem refugium instituit. Supplicabatur â MARIA MARIA, quatenùs esse vellet secunda cynosura, quâ ad aptatum portum deduceretur. Dehinc in planctum effusa, Spiritûs immunditiem itentidem lavans, â pientissimâ Virgine tandem obtinuit

nuit, ut ex infami Syrene, inargentata columba evaderet, & denuò spei remigio ad templi portas delata, ingressum pro voto obtineret. Atque sic decantata maris stella, cum intimo fervore flagitata, fluctuantem hanc navim è mediis tempestatum fluctibus evocavit. Hyemem lutulentam deinceps floridissimum secutum est ver. Putentissima Cloaca in amœnum mutata fuit, & odorosum Paradisum. Rigidos Boreæ flatus, Austri excepêre benigni calores, ut adeò cor illud, quod videri poterat ex solida constare glacie, in Crystallinos colliquefactum rivulos: & speciem referens aut vivi fontis, aut putei cuiusdam, merebatur, ut de ipsa Sacrorum Canticorum replicaretur oraculum, *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Et quoniam afflictissima, in amarum luctûs fletûsque diffluebat mare, poterat de ipsa adiungi: *Magna est velut mare contritio tua.* Ac, quemadmodum â monte Libano duo scaturiunt profluentes quorum uni *Ior*, & alteri *Dan* Nomen; & quidem utrique famâ celebre: qui posthac se simul amplexi & comixti Iordanum efficiunt: sic nostra quoque in præsens animitùs contrita, ex duobus oculorum fontibus novum expressit Iordanem; in quo, velut Naamanus, non septem sed centum, milleque vicibus immersa & immolata, denique Spiritûs, qua erat infecta, lepram, detersit, atque desideratam puritatem obtinuit. *Cant. 4. 15.* *Thren. 2. 13.* *S. Hieron. in c. 16. Matth.*

Vt adeò mihi videar duos illos intueri montis libani prospectus, invicem sibi tam mirabiliter oppositos; ut multis persuasum fuerit, non unum, sed duos esse montes, ab invicem penitùs distinctos & disparatos. Etenim unum huius Montis latus, vile est, neglectumque; alterum nobile & frequentatum: unum sterile, & squalore obsitum; alterum non ordinariâ fertilitate præditum: unum convitiis & vituperiis proscissum; alterum encomiis & applausibus celebratum: unum inferni fornacibus condemnandum, alterum cœli sphæris inserendum: unum reverà tartareum, & gehe-

nale ; alterum egregium & majeſtate divina dotatum : ut propterea S. Scribat Gregorius Niſſenus : *Libanos eſſe duos intelligamus ; alterum malum & reijciendum ; qui una cum cedris ſuis conterendus eſt : alterum electum & pretioſum : cuius elegantia divina ſit, & majeſtatem inſignem præſeferat.* Sed enim, nunquid hæ Libani qualitates in Ægyptia noſtra repræſentantur ad vivum ? nimirum duas in ipſa quoque cernere eſt ſpecies, duo latera, duos proſpectus : dum ex improviſò evadit ex laſciva, pudica ; ex lupa, columba ; ex infernali titione, cœleſtis ſtella ; ex imunditiæ vaſe, vas electionis ; ex Dœmonio incarnato, Angelus paradyſi - porròque dum oculos, prius impurarum flammarum fomites dehinc in duos commutat fletuum fontes : dum frontem antehac roſis coronatam, triſtitiâ inveſtit & cinere conſpergit : dum ſinum muliebrem aliàs crapulis impinguatum abſtinentiis affligit, & ieiuniis extenuat : dum cor, deteſtabile Monſtrorum latibulum, permutat in Gloriæ theatrum : & denique, dum animam, inferni vinculis exemptam â terrenis rebus avocat, ad liberum volatum provocat, illucque dirigit, ubi plena filiorum D E I gaudeat libertate, & ſerenâ fruatur paradiſi ſublimitate.

Orat. 14. in Cant.

Iſa. 27. 29. 10. Varii variè explicant Evangelici Prophetæ oraculum : *Convertetur Libanus in Carmel & Carmel in ſaltum reputabitur* : fortaſſe nemo meliùs Purpurato Hugone, dicente : quòd in Libano mons repræſentetur, ſeu anima derelicta ſterilis & inculta, in Carmelo verò anima virtutum floribus fructibuſque fœcunda & adornata. *Libanus mons eſt incultus ; Carmel Mons fertilis.* Etenim Maria, dum prioris vitæ deteſtatur ſqualorem, dum turbæ ſe ſubtrahit, dum pœnitentiæ ſe addicit, dum Sanctitati Carmeli mentem omnibus viribus devovet ; inſuper, dum, ut offenſionis huius mundi lapides, efficacius effugeret ; gementis columbæ alis accingit, populi frequentiam diffugit, in obſcuram deſerti cavernam ſe abdit, interque inhoſpites rupium receſſus, ſac-

ras moras trahit, in se quoque, quod magnus ille prædixit verificat: *Convertetur Libanus in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur.*

II. Acuant modò calamos suos Sacri Interpretes, colligant in amplissima Libani Montis encomia, insinuent montem hunc rarissimo privilegio fuisse electum, præbendæ materiæ ad DEI Templum, à nobilissimo Salomone fabricatum; dicant, quòd sublimes Cedri ceciderint ad primos securium ictus, extenderintque voluntariè supra terræ planitiem superbos apices, quatenus eorum robustissimi trunci concurrerent ad tam dignam structuram: dicant, quòd ex inflictis securium vulneribus, exquisitos stillaverint liquores, & suavem admodum evaporaverint fragrantiam: in signum, cùm devotæ gratitudinis, tum maximæ iucunditatis, quòd æterno Numini meruerint, offerri & consecrari: Dicant, quòd impatientes moræ, anhelaverint transferri â Tyri ripis, ad oras Hierosolymæ; non quidem super currus, quasi fugerent abominarenturque gemitus, stridentium querotarum querelas; sed super navigia, ut Beneficio velorum, properarent, volarentque ad opus tam eximium: te, quod concernit, O Maria! pœnitentium Gloria! quid dicam? quid dignè edisseram? tu sanè non expectasti, vocata semel ab urbe in desertum, à rosis ad spinas, â prostibulo ad eremum; non inquam expectâsti, quousque falce sua tibi tuæque vitæ minitaretur mors; aut quousque doloris lectus tibi serviret quasi pro curru quo illuc transvehereris, verùm ipsa sponte tua, tantâque cum celeritate in eandem properâsti, quasi pedibus tuis pennæ forent adaptatæ. Ad primum vocis divinæ accentum; ad primum divinæ gratiæ afflatum evulsi sunt è terra tuorum affectuum Cedri. Vixdum animis tuis sacrum intonuit invitamentum: *Veni de Libano Sponsa Mea*: ocius in plenas flammas exarsit charitas tua; supra quas de- *Cant. 4.* inceps sparsisti & myrrham Mortificationis, & incensum orationum, terram pariter ac cœlum inæstimabili fragrantiâ ad im-

implendo. Superatis dehinc, si non pelagi, saltem Iordani fluminis aquis, desertum ingressa, ferarumque facta socia, temetipsam ad Angelorum Munditiam sublimâsti: è proprio pectore quoddam erigendo Templum, quoddam fabricando Sacrarium, quoddam tendendo tabernaculum ad pura obsequia, æterni & immortalis Numinis.

12. Venite nunc, quotquot novam videre desideratis Phœnicem; venite; nam sub Ægyptiæ nostræ specie reperietis, & quidem intra fragrantia Libani nemora dimorantem. Venite, & si Libanus, prout scribit Richardus Victorinus, *Mons est in quo crescunt myrrha & thus*: difficulter discernetis, an Ægyptia nostra majori splenduerit Gloria, quòd cum myrrhâ pœnitentiæ glorificaverit carnem; vel quòd incensi fragrantiâ, exquisitè perfumaverit Spiritum. Venite; &, si consonum veritati est, quod S. Docuit Hyeronimus: *Quod Libanus interpretatur candor, & dealbatio*: intuendo Ægyptiam nostram nivis ad instar puram & dealbatam, promptè non resolvetis, annumerarine debeat, aut candidis gregibus hîc in terris Evangelici Pastoris vestigiis inhærentibus; aut felicibus illis in cœlo choris, qui *amicti stolis albis sequuntur agnum quocunque ierit*. Venite, & si cedri in Libano cum progressu annorum suis in prærogativis incrementum sumunt, cum sæculorum circuitu reiuvenescentes virescunt; & quantò plus annosæ, tantò quoquè plus fertiles & fructiferæ evadunt: pariter virtutes Ægyptiæ nostræ ad mensuram Lustrorum suorum augmentatæ, ad tantam altitudinem pervenerunt, ut intra sylvas, lucos, rupiumque cavernas adumbrari nequeuntes, gigantea quaquaversum magnitudine splenduerint, & reverenti quadam admiratione, totum mundum ad impleverint.

Scherlog. t. 3. f. 231. n. 11.

In Ezech c. 27.

Apocal. c. 7. n. 13.

Scherlog. t. 3. f. 251. n. 16.

13. Annis fermè septendciem vitiorum servivit corruptelæ, quadraginta autem & octo, virtutum se se consecravit culturæ. Passa quidem est, dum perfectionis aggrederetur tyrocinium, armatos ab impuris cogitationibus assultus fero-

ferocientibus hinc obscenarum imaginum simulacris; illinc gustatarum illecebrarum consuetudinibus: at illa heroicè strenua, montis ad instar restitit; qui nullis ventorum furiis concutitur, nullis tempestatum allapsibus conquassatur. Surrexêre quidem circa sinum ipsius velut emicantes flammæ variarum tentationum incentiva, suggestiones impuræ, voluptatum irritationes: at illa velut Mons Oethna, inter ardentes faces, intactam semper conservavit puritatis nivem, & munditiei integritatem. Et si quandoque Dæmonium ad ipsius sese iungebat Latus, ipsa velut Anteus in terram se prosternere noctes diesque prostrata persistere, inde vires & robur resumere, sicque stupendas victorias obtinere. Famem fallebat arido pane, herbarumque radicibus; sitim frustrabatur cum undis, ex saxeis molibus deciduis; genubus inductus erat callus, ab orationum prolixitate; pectori siccitas, à commodorum subtractione; oculis recessus à Somni carentiâ; macies genis, à ieiuniorum rigore; labris Livor à vitalis succi alteratione. Vmbram dixisses, conspectam in externo corporis habitu; quamvis intrinsecùs, & in mente tota fuerit lux, totus splendor, tota Gloria. Et quid de Elementorum dicam iniuriis? nunc hyemis ipsam siderabat & pruinæ rigor; nunc solis amburebat ardor; atque dum carne partim ambustâ, partim exiccatâ, vivum repræsentabat carbonem; animatum exhibuit in Spiritu carbunculum; dignum, qui luminosis Empyrei circulis incastraretur. Abominatus est equidem primitùs Mundus peccatricis huius scandala; posthac tamen, ut pœnituit, vehementer etiam admiratus vitutum ornamenta. Viva nobilitavit orientem in Iudææ desertis commorando; mortua, Occidentem, in hac Alcidis civitate & hoc altari quiescendo. Atque interim, dum cum corpore sese detinet in terra cum anima iucundatur in cœlo, peccatorem pariter instruit, ac iustum. Peccatorem; quomodo mala reformanda sit vita; iustum, quomodo assecurandus triumphus in Morte. Cremona.

14. Nonnus Panopolitanus Poëta græcus observat, quòd à monte Libano, nescio quis benignus Spiret ventus, qui Zephyrorum qualitates æmulando, largiatur, & efficax terræ fomentum, quo fructibus fæcundetur; & dulce agrorumcultori refrigerium, quo respirans refocilletur; & validum nautæ impulsum, quo ad navigandum provocetur, & ad persequendum lucrum accingatur.

Dyonis. lib 40. Scherlog. c. 1. f. 214.

Spirans ex Libano meridionalis ventus blandus
Spiritu generante fruges.
Et rusticum refrigerat, & nautam in navigationem trahit.

At eccum! etiam â nostro Libano gratiosa transpirat Aura, pariter omnes invitans ad Dandos DEO *fructus dignos pænitentiæ*: ventus vernalis, persuadens & trahens, ad applicandum se cum omni virium conatu, cùm ad virtutum cultum; tum ad animæ perfectionem: ventus Spirituosus, incitans & impellens, ad vertendum mundanis vanitatibus terga; properandumque, post superatum Christianorum laborum mare, ad æternum portum, & nunquam interrumpendam Paradisi felicitatem.

15. Agedum igitur Civitas Christiana; anima â Deo redempta: & si quandoque secutus es Ægyptiam peccatricem, sequere modo tristitiâ confectam, & pœnitentiæ cruciatibus emundatam. Accingere tandem aliquando ad aggrediendam semitam nostri Libani: *Veni de Libano, veni coronaberis.* Atque si domum ab hac magna pœnitente tuæ sumpseris reformationis Exemplar, relicta calcaveris vestigia dataque ab eadem fueris imitatus exempla velut ipsam, te quoque æterna manebit gloria, & felicissimæ retributionis corona.

VOX

Vox Leonina.

PRO FESTO S. AMBROSII ARCHIEPICOPI MEDIOLANENSIS.

TRIBVTVM SEXTVM.

Ego vox clamantis in deserto. Ioan. 1. 23.

INter quadrupedia, quæ terram quidem inambulant, animalia, principatûs prærogativam facilè generosus sibi vindicat Leo. Aliàs enim communi suffragio ferarum acclamatur rex, & fortassis vel ideo, quòd circa spatiosam frontem circumferat coronam, ex flavis pilis Naturæ manibus elaboratam; quòd flavus pellis, quâ cooperitur, color, Attalicum referat regiumque textum; quòd æmulum cœli stellarumque profundat ex oculis splendorem; quòd sonoris suis rugitibus tonitruosos imitetur fragores, perindeque pectoribus humanis incutiat & reverentiam, & timorem, & venerationem. Et hinc à Romanis sæpius inducti fuêre theatris leones, non invenientibus aliud spectaculum, aut ma-

jestate sua plenius, aut generositate romana, strenuitatique condignius. Victores quoque nonnunquam eò delapsi sunt, ut ostentandæ magnitudinis propriæ gratiâ trahendis quibus in triumphis suis usi sunt, curribus, leones adhibuerint. Et si tandem periti stellarum, inter cœlorum ornamenta, reposuêre leonis Exuvias, stellis ingemmatas; Apocalipticus Ioannes ipsum Empyreum penetrans, quendam ostendit, propè solium immortalis DEI collocatum.

2. Et verò cùm in oraculis hodierni Evangelii: *vox clamantis in deserto*: Sacer aliquis proponatur, & vigorosus Leo; concedite, vos precor, N. mihique permittite ut in eodem Magnum illum Archiepiscopum, Sanctum Ambrosium recognoscam. Leo sanè fuit illustris, propter natalium claritudinem; coronatus, propter insignem, quâ polluit, doctrinam; expositus, quo miraretur Mundus integer Spectaculo; propter eximiam, quâ viguit fortitudinem electus cum paucis, ad conducendam ad clarissimos triumphos Christianæ religionis quadrigam; & demùm, ubi cum beatissimis choris æternùm resplendesceret, translatus ad Empyreum. Verùm, cùm præcisè proponatur, *vox clamantis*: indulgete, ut in voce eiusdem, ipsius doctrinam; in valido rugitu, fortitudinem demonstrem, & animi magnanimitatem. Et tametsi sonora leonis vox à debili cicadæ stridore, debitè non possit repræsentari, nihilò tamen minus S. Ambrosius, ab ipsis suis meritis sufficienter laudatus, promptæ mentis acceptabit obsequium; & vos. N. N. ex paucis, quæ dixero, comprehendetis etiam id, quod tacuero: cognoscendo, velut sonat proverbium: *ex ungue leonem.*

3. Dubium nullum est, quòd ab antiquis scriptoribus Sapientia litterata sæpius fuerit in immagine leonis adumbrata. Gregorius Nazianzenus, & interpres exodi, in pictura leonina, prout animadvertit Pierius: *Oratoriæ partem facultatis commonstrabant.* Antiqua numismata, effigiando Mercu-

rij

rij Caduceum supra caput leonis, insinuare volebant, pulcherrimum iniri fœdus eloquentiæ facultatem inter, & fortitudinis vigorem. Hercules Gallicus, quàm raræ virtutis tam exquisitæ quoque sapientiæ vir, pro insigni ornamento leonis exuvias induebat. Et demùm dum severiores naturæ mystæ leonem perhibent animal solare, pariter pro sapientiæ statuunt typo; quandoquidem magnus iste Planeta, sapientiæ tutelare Numen, singularibus influxibus prosequitur leonem. Iam verò, si Ambrosius prout antiquæ nostræ referunt memoriæ, gravis fuit aspectu, latæ frontis, vivacis intuitûs, flavæ capillaturæ, & perinde viva magnanimi leonis imago: nunquid & amor eruditionis, & cultura litterarum & sapientiæ possessio, ipsius fuerunt ab ipsis fasciis inseparabiles sociæ? Meritò sanè ad ipsum melliferæ properabant apiculæ, utpote in quo non solùm pulchritudinis reperiebantur flores, in gratioso vultu recollecti; verùm etiam genij ingeniique fructus, in eiusdem animo mirabiliter adunati. Properabant ad labia ipsius apiculæ, vel ut augerent vel ut libarent mellis illius suavitatem, jam abhinc ab illis distillare inchoantem. De quo utiquè poterat dici: *Mel & lac sub lingua tua.* Cant. 4. 11. Atque adeò dum in infantili Ambrosij ore rosarum purpura rubescente immoratæ sunt apes, clarissimè demonstrarunt, Romam, Ambrosij patriam non habere, cur invideat Græciæ: quandoquidem in nostro infante renovabantur & Pindari prodigia & Platonis portenta, supra quorum labijs requievêre apes. Et pariter etiam Nestoris; quandoquidem & labia Ambrosij mellis redundabant dulcedine, & verba condita erant Ambrosiæ suavitate.

4. An autem eiusmodi principijs proportionati respenderint aut eventus aut effectus, vobis ipsis iudicium remitto. Taceo, quòd eiusdem vivacissimus intellectus cùm exercitijs Rhetoricis tum Philosophiæ quoque studijs excultus, mirabiles, ac propemodùm paradiso pares ediderit

fructus. Taceo, quòd efficaciam persuadendi in lingua sua velut Ennius circumtulerit, causas egerit, clientibus patrocinatus fuerit, in Capitolio Romano Gracchos, Tullios, Hortensios & Marcos Antonios renovaverit, & ad vivum expresserit. Taceo, quòd Probus Vrbis Romanæ gubernator pensatis optimi ingenij dotibus, ipsum in intimum Consiliarium asciverit, primis officijs decoraverit, honoribus ac dignitatibus cumulaverit: illud solummodò retulero, quòd rarissimarum virtutum fama, remotissimas totius Europæ partes pervagata, quasvis Nationes obligaverit, ad ipsum honorandum, exaltandum, ad sydera summis laudibus extollendum. Trutinans S. Hieronymus Susannæ historiam, qualiter nempe, prout refert Prophetia Danielis, malignis accusationibus obruta, atque ad violentam infamémque mortem condemnata, *exclamavit voce magna*, putat id intelligendum non esse, de sono strepitoso ex aëris collisione excitato, & afflictæ clamoribus repercusso; verùm de vocibus à susannæ innocentia, pudicitiâ, & sanctitate suscitatis, atque ad ipsius DEI Thronum penetrantibus; *Magna vox erat, non aëris percussione & clamore faucium, sed pudicitiæ magnitudine, per quam clamabat ad Dominum.* Idem & ego de S. Dicam Ambrosio; nimirùm quòd ipsius integritas, sapientia, Iustitia animique vigor validis Provincias, Regna, Nationes adimpleverit vocibus, ut earundem perceptâ famâ valentinianus Imperator, ad Æmiliæ, Liguriæ, & præcipuè ad Patriæ nostræ elegerit gubernium, admoverítque. Fortunata Patria! utpote quæ, dispersis queis modò miserè opprimeris, Hæreseos umbris, ab huius solis splendoribus ad stupendam te conductam videbis claritatem. Ut comparuerit generosus hic Leo, quotquot sunt perfidiæ monstra, vituperosam accelerabunt fugam, & in damnatam, cui dedicata sunt, præcipitabuntur abyssum. Aspiciente Leonem hoc sole, brumale tui Spiritûs destruetur frigus, singularíque cum efficacia Christianarum maturatis

Daniel. 13.

bis virtutum fructus. Achyllis, itèmque Samsonis adinstar, non ab ossibus, verùm ab emedullatis doctrinis huius sacri Leonis; insuper & à favo, ab eiusdem Beatissimis labris destillante alimenta desumes vitæ æternæ, & singularia confortativa. Quid? longè equidem feliciùs quàm urbs Hierosolyma cernes, non Leonum statuas in regio throno ornamenti gratiâ positas; verùm Leonem aliquem mysticum, vividum, generoso zelo animatum ac cum Sancta Auctoritate in Tribunali considentem.

5. Sedet pro tribunali Ambrosius, & sedet benè; quippe cum animo quieto, libero, à timoris, propriæ utilitatis odij, aut amoris passionibus penitùs alieno. Portat & ipse velut Ægypti Iudices, veritatem, non equidem in gemma quadam effigiatam & ante pectus pendentem; sed in ipso corde sculptam: quàm moris abominator, tam fraudium, calumniarum ac circumventionum osor. Denuntiationi querelarum unam duntaxat accomodat aurem; alterâ pro audiendis accusatorum excusationibus reservatâ. Oculos continuò tenuit apertos ad intrinsecùs investiganda causarum merita; clausos autem & cautè firmatos, cùm respiciendæ erant personæ, vel privatorum respectuum corruptelæ. Ut dignè gestaret astrææ lances, manus suas à donativorum putredine semper præservabat immunes; illas pendere sinens, non ubi quidpiam capiendum; quippe qui accipiebat nihil; sed quorsum aut inclinabat meritum, aut præcipitabatur demeritum. Apprehenso Iustitiæ gladio, velut alter Magnus Macedo, Gordios litium promptè truncavit nodos, ac malitiosas earundem pravéque protractas prolongationes; tribuendo cuique quod per æquitatem conveniebat: interim semper anteponens rigori clementiam; & Iudicis severitati paternum affectum; perindéque longè feliciùs omnium captivans animos cum hac amabilissima discretione, quàm Gallicus Alcides cum aureâ suâ catenâ.

6. In-

6. Interim vivere desijt Auxentius, & solis huius videre lucem; cuius oculis (mentis intelligo) jam aliàs Arriana hæresis nebulosam diffudit caliginem. Hinc ad novi deventum est & conventum electionem Episcopi. Zelantibus autem omninò multis Catholicam Religionem, multis omninò Arrianam iniquitatem, omnibus autem suas partes sustinere acconantibus, gravissimi commoti sunt tumultus & pravissimæ seditiones. Nunquam tametsi quàm maximè contrarij sint, à ventorum flatibus tam irritantur, nunquam à procellis tam convelluntur aquæ pelagi quàm tum erant commoti agitatique civium animi. *Populi multi aquæ multæ.* Pars pietate devota, omnem movebat lapidem, ut Arrianam opprimeret factionem: contrà pars Altera, regnantem impietatem porrò volebant promotam. Hinc spumabatur irâ, certabatur odijs, multiplicabantur clamores, intentabantur minæ, cælumque tam horrendi fragoris echone quaqua versùm immaniter reboabat. Et verò, quis erit (vos interrogo Auscultatores) quis erit vel tantâ sapientiâ pollens, vel tantâ auctorite præstans, qui tam feram possit mitigare tempestatem? Quis malaciam dabit undis tam enormiter irritatis. Quis frænum imponet furibundis ventorum turbinibus? abactisque turbarum nubibus, ad pacificam revocabit cælum nostrum, serenamque tranquillitatem?

7. Virgilius Maro, postquam descripserat mare, insolitâ feritate convulsum, procellisque conquassatum, subjunxeratque, quo modo Neptunus, plenam Majestate frontem è medijs undis extulerit, pelagi tumorem planaverit, collectam nubium spissitudinem fugaverit, solisque lucem hactenus tenebris obvolutam revocaverit.

Æneid. *Dicto citiùs tumida æquora placat,*
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.

Singula dilucidare volens hac insigni usus est similitudine.

Ac veluti magno in Populo, cùm sæpè coorta est

Sedi-

Seditio ; sævitque animis ignobile vulgus :
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat.
Tum pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexère, silent, arrectisque auribus adstant ;
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

8. Haud aliter rem ibi successisse reor, postquam Ambrosius singularis huius commoti pelagi Neptunus è sublimiori quodam loco sese populis ostentavit. Etenim dum rapti natalium claritudine, nobili vultus constantiâ, singulari meritorum excellentia linguis imperant, silentium servant & Ambrosium audiunt : ille vicissim, cum sonorâ vocis efficaciâ, *vox clamantis* animos emollijt, dissidiorum Zizania evulsit, odia composuit, cordibus concordiam insinuavit, pacem infudit, atque à toto, quantus quantus erat, seditionis tumultu insolitâ dexteritate victoriam reportavit. Interim supernæ providentiæ dispositione, cuiusdam infantis lingua solvitur, & ab eodem Ambrosius, acclamatur Episcopus. Cui dein totius populi accessit consensus, & lætissimus passim applausus : sicque adeò cum infinito iubilo pro huius Ecclesiæ pastore agnoscitur & acceptatur. Et quamvis toto virium nisu conatus fuerit, tantæ se subtrahere dignitati ; nihilo tamen minus considerans, ad tantum onus electum se esse à singulari DEI providentia, denique se resolvit, proprium arbitrium postponere Divino beneplacito, & in eiusdem acquiescere voluntate.

9. Lætum nuntium Urbs Mediolanensis ! Etenim si, quod subinde legi, non habet navis, quòd maris timeat tempestatem, aut improsperum cursum per Oceanum ; quæ præfixum in prora gestat Leonem : quid nî tu secura quoque fueris ab omni naufragio, quando regiminis clavus à Sancti tenetur Ambrosij Leone ? Iam aliàs suspicitur hic Leo atque timetur, cùm in tribunalibus, tum in Prætoriis. Quin totum omninò se consecrat & templi tui custodiæ & Sanctuarij defensioni : ubi non minùs exemplis

quàm verbis ingeminando voces : *vox clamantis* : & somnolentos excitat à vitiorum lethargo , & virtutibus deditos adjuvat in meritorum collectione.

10. Mysterio non caruit, campanulas aureas fimbriæ vestis Sacerdotalis olim annexas, atque à Sacerdote fuisse gestatas : indicatque S. Hieronymus dum ait : *Tanta debet esse eruditio Pontificis DEI, ut & gressus ejus , & motus & universa vocalia sint ; ut , quidquid agit , quidquid loquitur doctrina sit Populorum.* Atque id , si à quoquam , tum à Sancto planè fuit observatum Ambrosio ; in quo universa vocalia fuêre & doctrina populorum : Et oculi quidem nocturno tempore secundùm proprietatem leoninam semper aperti , in dandis audientijs , in colendis studijs , in frequentandis orationibus , vox erant , à quâ vigilantia prædicabatur. Facies illa , continuis ieiunijs , nonnunquam ab ipsis Leonibus excultis , extenuata , vox erat , à qua sobrietas inculcabatur , & abstinentia. Manus illæ , quæ subin in coëmendis , distribuendisque pauperum alimentis , copiosas profundebant facultates ; quemadmodum etiam Leones , ut asserit Plutarchus , *senioribus prædam , & alimenta ministrant.* Vox erant : qua suadebatur & charitas & Liberalitas. Gressus illi Semper ad Ecclesiam , ad Chorum , ad Altare directi , veluti leonis ad amati cubilis secessum , vox erant , qua incitabatur & fervor in Spiritu , & gustus in devotione. Habitus ille totius corporis , velut leonis , semper gravis , semper majëstate repletus , vox erat , qua & decor docebatur religiosus , & exemplaritas clericalis. Demum ut omnia complectar simul , Actio , gestus , aspectus , oculorum nutus , motus , suspiria , respirationes , *universa vocalia erant* , atque omne , quod aut dicebat , aut faciebat , *doctrina erat populorum.*

Ælian. l. 5. c. 39. 11. Rarum omninò vidit Spectaculum Vrbs Carthaginensis , Leonem videlicet , onus aut Sarcinam , ut asini solent , humiliter deferentem atque nobile dorsum quibusli-

libet Domini sui impositis ponderibus submittentem. Simile quoque vidit Spectaculum Urbs Mediolanensis, & quidem in magno Ambrosio: quippe qui omnes succollando, omnium onera subeundo, omnes in Christo portando, aut supportando, cum Paulo dicere poterat: *omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem: omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*: vel, ut melius dicam omnium onera portando, videri poterat, Divini Leonis replicare intendisse voces: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* 4. Cor. 9. n. 19.

12. Referant eruditi, sæpius observatos in antiquis marmoribus, Leones, in actu amplexandi teneros agnellos, cúmque singulari benignitate ijsdem abblandiendi: certè Ambrosius mansuetudine longè Superior, affectu tam materno, quàm nutritio, passim auxilio destitutos suscipere, positis in luctu viduis solatia suggerere; derelictis pupillis succurrere, miseris Suspiria moderari, & cum insigni misericordia flentibus Lacrimas detergere consuevit.

13. Si Vitruvius illius opinionis est, extremo palatijs ornamento esse fauces Leoninas, certo situ dispositas; per quas cadentes de cælo pluviæ se possint exonerare: eccum! Ambrosium, eccum & ipsum aquas profundentem, sed amaras, sed ex oculis; lacrimas scilicet, ex commiserationis teneritudine scaturientes: dum nempe sceleratorum deflet excessus, perfunctorias Sanctorum sacerdotum interfectiones. Profundentem etiam ex ore aquas, doctrinæ videlicet; dum animarum studet Saluti, & culparum contractarum ablutioni: profundentem itidem & ex manibus aquas nimirum baptismales, quibus ille solus tantam immersit multitudinem: quæ aliàs quinque ministrorum, ut ut admodum vigorosi forent, requireret Servitium.

14. Si Sanctus Sabba Abbas, quendam habuit Leonem, penitùs oblitum, quod esset ferarum Rex, & pastoris munus obeuntem: ita ut ad pascua conduceret, & ab

ijſdem ad ſtabulum denuò reduceret quoddam Sancti iumentum: Tum S. Ambroſius doctis ſuis vocibus ſæpiſſimè deduxit, & ad paſcua Chriſtianæ veritatis, & ad ovile Eccleſiaſticæ ac Catholicæ unionis. Quos? Peccatores nempe, & præcipuè hæreticos, æmulantes plerumque iumentorum, cùm recalcitrationem tum ſtoliditatem.

15. *Si* perceptum in cœlo fuit à Ioanne Leonem aliquem concernere ſortem, aperiendi, ſolvendique librum, ſeptem ſigillis obſignatum: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula eius*: Tum AMBROSIVS, quaſi Litteratus Leo totus intentus librorum ſtudio, quàm in muſæo cum pennæ eruditione, tam in cathedra, cum linguæ facundia, commentando, multa diſcinxit, aperuit, ſolvit & diſſolvit myſteria, in Sacris ſcripturis altiſſimè involuta; quædam etiam ex profundiſſimi ſui intellectûs eruit minera, & maximo cum labore, ſuâ propriâ deſcripſit manu.

Apocal. 5. 5.

16. Si IACOBVS, Gloria Patriarcharum, *filium ſuum* Iudam vigoroſo comparavit Leoni; *Catulus Leonis, Iuda*: & Leoni quidem, numeroſas prædas acturo: a*d prædam fili mi aſcendiſti*: dein, ſi Leo ſolo rugituum ſuorum boatu feras territat, ad terram proſternit, de victis triumphat; quid nî dicemus, potentiſſimum Numen ſtrepitantibus valoroſi noſtri Leonis rugitibus, præſervâſſe, cùm monſtra *hæ*reticalia, de quibus prædam ageret; tum rabidos illos lupos; Gregis electæ capitales inimicos ut contra eoſdem prævaleret; tum etiam tumidos illos gigantes talentorum ſuorum ſublimitate cœlum ipſum adorturos, ut eoſdem deijceret, ad terram proſterneret, & ſalubriter humiliaret. De te loquor Auguſtine: qui antequam noſceres vel noſcereris ab Ambroſio, fuiſti veluti plumbum inter metalla; veluti cometa inter ſydera; velut horrenda monſtrorum caverna inter ædificia: Sapientiâ tamen Ambroſij, tanquam à lapide philoſophico, plumbum hoc in optimum mutatum eſt au-

rum

rum; infaustus cometa, inter propitias translatus est stellas; caverna monstrorum, mutata est in gloriæ Theatrum. Si heroicos jam Ambrosius promeritus est applausus, quando semel cum Augustino Litteratum iniit conflictum; infinities utique majores promeruit, quando de eodem ad veram Ecclesiam persuaso, clarissimam reportavit victoriam. Omnium, quotquot unquam parturiit Africa, generosissimum Monstrum, ante faciem deductum est Ambrosij, ut nimirum eiusdem & magis clarescceret virtus &, majores â fama reportaret applausus. Tui Laboris, tuæ fatigationis, tuique insuperabilis Zeli fuit, O AMBROSI, quòd Aquila illa nigra, in spurcitiis Manichei jam jam inveterata, ad radios divini Solis fuerit deducta, undis baptismalibus immersa totoque animæ habitu renovata: quòd corvus ille malitiosus, cum detestabili suo *cras cras* conversionem ad Christum per menses, annos, lustra continuò procrastinans, candidissimum mutatus fuerit in Cygnum, dantem simul lætissimum augurium, quòd olim futurus esset, Canonicorum Regularium restaurator, legislator, & Magister; quòd fumigans ille titio aliud non evaporans, quàm litteraturam humanam, pernitioso tamen hæreseos veneno permistam, tuis flatibus, tua voce, tuo Spiritu fuerit revivificatus, fervore divino repletus, atque in gloriosam Ecclesiæ facem accensus. Ut adeò personæ Ambrosij aptè possit accomodari illud psalmi: *Vox Domini confringentis Cedros. Vox Domini concutientis desertum. Vox Domini præparantis cervos*; vel, ut alij legunt, *parturire facit Cervas*, Quandoquidem Ambrosij voce, Cedrorum superbia fuit humiliata, nemorum eremus subversa, cervorum fuga revocata, vitalique prole fœcundata: quocirca *in templo eius*, DEI videlicet, & in Ambrosij Ecclesia, quin in toto Catholico cœlo, sonabant, insonabuntque porrò semper plausuum, triumphorum, gratulationúmque voces: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.*

Psalm. 28. 5.

Psalm. 28.

 17. Se-d

17. Sedenim, quid de triumphis loquor quid de plausibus, & gloria qui necdum accinctum vobis exhibui, quàm arduis tam etiam periculosis negotiis? An fortè formidat Ambrosius feritatem Maximi illius crudelissimi Tyranni, cuius manus in sanguine gratiani Imperatoris, proditoriè ab ipso occisi, erant inquinatæ, & adhucdum fumantes, adhuc calentes? minimè; quin vehementer in Barbarum excandescens, illum increpat, obiurgat, sanguinolentiam exprobrat, sententiâ excommunicationis fulminat, & ingressum Ecclesiæ animo Leonino interdicit. An fortè pallescit obviam Theodosij purpurani, multâ satellitum manu stipatam, & furibundâ armatorum coronâ circumdatam? non equidem; quin cum pari Eliæ Zelo, eidem resistit, à Cleri cancellis excludit, sacrilegam Iudæorum protectionem obiurgando obijcit, inhumanam stragem Thessàlonicæ patratam, extremè damnat, denique ad se reversum, compunctum, & humiliatum, ad pedes suos inclinat. An fortè terresit furiis Iustinæ Imperatricis, fæminæ facilè nequissimæ, illius Sæculi Iezabelis, Arrianos supremè protegentis, & contra Ambrosium, tartarea venena evomentis? nullatenus: quin animum potius obfirmat, ad quaslibet iniurias præparat; paratus, millies mortem occumbere, quàm Ecclesiæ causam deserere. An fortè concutitur, aut insidiis occultis aut violentiis apertis ab Arrianis quotidie contra ipsum conceptis, intentis, & fabricatis? ne hilum quidem: quin Leo generosus, latratus istos tantumodò irridet; non cum gladio, sed cum flagello, in manu, velut vilissimos servos ipsos tractat, & ad dissipationem eorum se accingit: confisus, quòd, ut erat Leo solâ voce, solo rugitu eosdem esset fugaturus.

18. Cæterùm in his rerum articulis, vel ut proximiùs loquamur in his Apostolicis negotiis, curis laboribus, & occupationibus, queîs per viginti circiter & duos exercebatur annos, placuit supremo Regi, huiuscemodi fatigationibus fi-

finem imponi ; & Operarium suum ad æternam quietem avocari. Correptus igitur, velut Leo, febrilibus ignibus, & instar Eliæ, in igneo curru constitutus, plùs quàm aliàs ad innocentia Empyrei incendia aspiravit. Honoratus quamdiu vixit, â primis mundi principibus ; moriturus Honoratum habuit, Vercellensium Episcopum, qui in extremis illis articulis existenti assisteret. Hic igitur Eucharisticum porrigendo nectar, illi, qui in ipso Ambrosiam portabat nomine, cum sacro epulo ad delitias disposuit, beatæ, Sempiternæque mensæ : atque sic, qui totus erat, vox, in extermo constitutus languore, vigorem accepit à Divino Verbo & egregiam animi restaurationem. Atque adeò, acceptâ inter brachia crucis imagine, cuius mortificationem in anima sua continuò portaverat, instar Seraphini ad volatum supra stellas se disponens ; sicut annorum progressu Semper edidit voces virtutum, voces laudum & encomiorum, sic nunc replicando voces pietatis, & devotionis psallendo orandoque, animam suo reddidit Creatori.

19. Non equidem ampliùs N : auditur Ambrosij vox somno mortis dulciter sopita ; audietur tamen posthac constanter, cùm ab ipsius simulacris, tum etiam ab ipsius exaratis voluminibus, operumque clarissimis meritis, nunquam non festivis, applausibus celebrandis & acclamandis. Sopita licet sit Ambrosij vox, fama tamen Sopita nunquam erit ; Hæc levabit vocem suam, & dicet Ambrosium tam fuisse purum, ut virginitatis lilium, ex ventre Materno extractum, denuò mundissimum transtulerit in sepulchrum : tam fuisse humilem, ut, dum de pontificia tractabatur dignitate, tantam adhibuerit diligentiam, ut effugeret ; quantam alius adhibuisset, ut obtineret ; cùmque multos eosdemque doctissimos composuerit libros, eosdem alterius iudicio, censuræ, correctioni semper subijceret. Tam fuisse doctum ut ad applausus suos, Italiam obligaverit Græciam insuper, Syriam, & mundum universum ; concurrentibus cùm Ecclesi-

clesiasticis, tum sæcularibus Iudicibus ut ab ipso colligerent oracula, dum erat vivus; iudicia, resolutiones, sententias ex ipsius voluminibus, postquam jam erat mortuus: tam authoritate præpollentem, ut ipsum timuerint tyranni, eidem obediverint reges; ad ipsius pedes majestatem suam inclinaverint Imperatores: tantæ fuisse existimationis, ut ab ultimis Persiæ finibus ad ipsum doctissimæ pervenerint personæ; ac ipsa Marcomannorum Regina, velut altera Regina Sabæ se Mediolanum contulerit, ut ipsum speciali presequeretur honore: tantæ fuisse charitatis, ut redimendis miseris mancipiis, Sacris non pepercerit vasibus: *nihil* curatis auro vel argento, dumodo ferrea disrumperent vincula, & catenis illigatos, aurea donarent libertate: tantæ fuisse liberalitatis, ut totum omninò patrimonium, amplum satis & copiosum, consumpserit, cùm in parandis Ecclesiæ paramentis, tum in sublevandis miserorum calamitatibus: ut hoc nempe modo Crucifixum suum sequeretur, & nudus in inopia & inops in nuditate. Dicet non minus fama, quid, & de quo? de Angelis, quòd Ambrosio prædicanti adstiterint, & subinde quoque verba suggesserint; de dæmonibus, quòd ipsius calumniatores sæveris tormentis exceperint; de leopardis, quòd Ecclesiæ violatores, discerpserint, & dilaniaverint; quòd Sacrilegos excessus in ipsum commissos ægrè resenserint; de infirmitatibus, quòd ad vocem Ambrosij velut timidæ feræ, diffugerint, & sponte sua perpetuo exilio se damnaverint. Dicet postremò fama, quod Ambrosius hæreticorum fuerit malleus, flagellum Arrianorum, propugnaculum religionis, columna veritatis, scutum fidelium, & Ecclesiæ Mediolamensis reparator, conservator, & pater. At verò, si pater ille fuit, & vos filij, complaceat vobis tanti Leonis heroicas imitari prærogativas; memores: *fortes creantur fortibus.* Horat. Ardeat in cordibus vestris charitas Ambrosij, regnet in pectore vestro eiusdem decantatus Zelus, floreat in lumbis vestris

ris Ambrosiana puritas, atque in omnibus vitæ vestræ factis & operibus AMBROSII Sanctitas resplendeat. Atque si veritati consonum sit, Leonis exuvias, hoc â natura præditas privilegio, quod non solùm ipsæ â vermium dentibus immunes sint, verùm etiam, quidquid attingunt, à putredine conservent; vos N: habituum Ambrosij; morúmque inculpabilitatem induite; certi securique, quodsi ad eiusdem imitationem incorruptam vitæ conservaveritis puritatem cum ipso pariter æternum adipiscemini bravium.

Cervus Mysticus.

PRO FESTO S. LUDOVICI BERTRANDI.

TRIBVTVM SEPTIMVM.

Similis est dilectus meus capreæ, hinnulorumque cervorum. Cant. 2. 9.

IActent se, prout equidem lubet, pridem acta retrò sæcula, inter strepitosos armorum tumultus, candidam à se visam fuisse cervam, furibundis Leonibus familarem, martiales & jam cohortes sequitantem & in Sertorij tentoriis se-

 cu-

curè commorantem. Oſtentet quoque ſe Superba Roma, quòd inter glorioſas triumphorum pompas Lurelianus in Capitolium vectus ſit, a quatuor tractus cervis; qui depoſito, quem ingenuerat natura, timore, nec curioſi populi accurſu territi nec, urgentium turbarum compreſſione inquietati vicem ſuſtinuêre fortium, curſorumque equorum. Efferant ſe amœna Franciæ nemora, quondam hoſpitium præbuiſſe cervæ, quæ perpetuum, ut à quibuſvis offenſionibus ſecura eſſet, ſecum portabat ſalvum conductum; in æreo collari, his verbis inciſum: *Hoc me Cæſar donavit*: triumphent, quantumcunque poſſunt; quando ad grandius longè ſpectaculum vos invito N: in perſona Ludovici Bertranidi repræſentandum. Stetit is, intrepidus inter exercitus, falſis numinibus cultum exhibentes; & vel ideo contra ſe exacerbatos: & ſtetit inſtar Cervi, non ſimulatum, velut Sertorij Cerva Dianæ; ſed ſincerum immortali DEO obſequium exhibiturus. Conduxit etiam inſtar generoſi iugalis; aut potius circumtulit triumphantem crucis currum, & glorioſam Crucifixi Redemptoris ignominiam; recepitque viciſſim pro ſua mercede, non æreum collare, ſed potius aureum monile: de quo fortaſſis ſapiens: *torques illius in coronam Gloriæ.* Quamvis itaque conceptas inter in firmamento imagines, nullus reperiatur Cervus; factâ tamen reflexione ſuper illuſtriſſimam S. Dominici Religionem, tanquam cœlum clariſſimis ſtellis interſtinctum; ſicut in ardente cane Sanctum agnoſcit Patriarcham Dominicum; in Tauro boante, Thomam Aquinatem; in Leone coronato, Petrum Martyrem; in docto Cygno Vincentium Ferrerium; in ludente Delphino, Raymundum; in Virginis ſigno Catharinam ſenenſem, aut etiam Roſam; ita in Ludovico Bertrando per bellum diſcerno cervinum hinnulum; de quo non ineptè replicari poteſt elogium à cæleſti Sponſa Salvatori noſtro attributum: *Similis eſt Dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* At ut in huius myſtici cervi conſidera-

Eccl. 6. 30.

ra-

ratione ordinatè procedatur, permittar, vos precor, N: ut ipsum contempler, primitùs in secessu intra claustra; dehinc in congressu conflictuum; postremo in Gloria triumphorum: in claustris se se macerantem; in campo aperto auxilia proximo ferentem; in triumphis ad æternam mercedem promotum. Vos verò. N. dum ad loquendum accingor, de anima tam excellenti, tam sublimi, DEO tam grata & acceptâ; ut de ipsa possit dici: *Cerva gratissima & gratissimus hinnulus*: vestrâ favete humanitate, & perorandas laudes attento honorate silentio. Proverb. 5. 19.

2. Quis, qualisque fuerit Ludovicus, meliùs à me dici non poterit, quàm ipsum contemplando, priusquam esse cœperat; Patrem habuit, Ioannem, exquisitæ bonitatis hominem. Hic desperatam omnino sanitatem, à Sanctis denuò recepit, Vincentio Ferrerio, & Brunone, non absque manifesto, ut creditur, miraculo. Cúmque jam aliàs suam amisisset consortem, statuit secum, statum porrò colere vidualem; â quibus acceperat, suam consecrare vitam; inque Carthusianorum secedere solitudinem. Sed enim propositum hoc ab ipsis quorum honori concipiebatur, Sanctis, interceptum fuit; efficaciter inculcantibus, ipsum â supremo rerum Moderatore, mundo deputatum, non claustrorum incolatui. Hinc â nuptiis secundò celebratis Sanctissimum nostrum collegit infantem, castis suis amoribus dignissimum fructum. Fortunate Pater! quippe quem Providentiæ Divinæ singularis, influxus in hoc detinuit sæculo, ut tam insigni tamque portentosa redonaretur prole: cuius Sanctitate, meritorumque splendore, non regnum duntaxat Valentiæ, Ludovici patria, verum etiam Hispanicæ provinciæ omnes quin mundus illustraretur universus. Verùm Longè fortunatior fili! quandoquidem velut alius Isacus, alius Salomon, aut alius Iosias, modo quodam prophetico mirabiliter prænuntiatus, natúsque non â primâ sed a secunda coniuge; non â Lia sed â Rachaële sig-

N 2

signa manifesta dedit, esse se Beniaminum, dexteræ filium, Deoque amantissimum: quid è præventum Benedictionibus Domini; priùs esse filium gratiæ, quàm naturæ.

3. Natum Ludovicum, species exterior ostendit hominem, at mores, carne vestitum Angelum. Debilis viribus, Spiritu robustus, quantùm in ætate, tantùm etiam creverat in virtute. At vitia multitudinis ipsi displicuerant. Hinc solitudinem, etiam nemorum, non solùm adamavit, sed sœpius etiam petiit. Quam bene dicitur â te doceturque, O Virgili! quòd cervi vocari debeant fugitivi; *cervique fugaces*: quandoquidem adolescens noster, popularem declinans frequentiam, *avia petit.* Inde meritò dicere posset cum Propheta: *DEUS perfecit pedes meos tanquam cervorum*: Quin imò, *tanquam Angelorum.* Ut ex textu Hæbracio eruitur. Valentia! planè nullatenus habes, quod invideas Romæ, nec vos Hispaniæ regna, quod Franciæ. Quandoquidem in Ludovico vestro possitis ostentare, & quendam Alexium, & quendam etiam Rochum; Gloriæ vestræ, fugâ suâ militantem. Ut DEO strictiùs adhæreret, ab omnibus se rebus discinxit: exiit, velut Abraham, *De terra sua, & de cognatione sua*: corrupto huic mundo sæculoque perverso se fugâ subducens; quemadmodum Iacobus fratris Esau, vel David Saulis insidias declinans; Demum instar Ioannis Baptistæ deserto se devovens, ab hominum intuitu pupillas suas penitùs abstraxit, ut easdem DEI fruitioni totaliter reservaret.

2. Georg. 3.39.

Psalm. 17. v. 34.

Genes. 12. 1.

4. Fugit Ludovicus. Verùm septem abhinc milliaribus in fuga deprehensus, nec sine fallacia domui suæ restitutus: licèt impræsens intermittat peregrinari pede, non tamen intermittit toto ad DEUM peregrinari affectu. Retractus ab eremi Solitudine, posthac ad S. Dominici aspirat claustra. Quoniam autem pater consideratâ filij imbecillitate, viriumque ad tam austeræ observantiæ rigorem incapacitate, effectum continuò impedivit, ipse civitatem egressus

sus, atque muros Monasterij itentidem circumiens, instar Philomelæ, & Suspirando ingemuit, & gemendo suspiravit. Et quis? ah! quis prohibet, me tuis annumerari habitatoribus, terrestris licet, attamen dulcissima Hierosolyma? Per Lactem hanc viam, me DEUS clamat ad Empyreum. Et ad volatum tam felicem, ligatæ mihi sunt alæ, pennæ circumcisæ? Æra Sacra! quàm â vestra rapior harmonia! Sanè vehementiùs longè, quàm Cervus â fistularum sono: & tamen abhinc excludor, & ab ingressu impedior? veluti sonoræ tubæ, sanguinem meum arrigitis, animo stimulum subditis, & impellitis, quatenus sacro illi nomen meum Albo dem, & sub Sacra Dominici vexilla me recipiam. Et cur ego prohibeor Angelis pacis me coniungere meoque Creatori debita Laudis tributa persolvere? Limpidi fontes, santitatis & perfectionis; cur non licet in vos me penitùs submergere, sicque devoto sitis meæ fervori satisfacere? *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, DEUS.* Psal. 41. 1. 2. Hæc secum multoties piissimus adolescens: quantoque magìs, frigidus Pater, Sanctis renitebatur desiderijs, tantò magìs Sacra quadam Antiperistasi, devotionis intendebatur incendiis: donec pulsatis constanter cœli portis quasi Cervus, *saliens in montibus, transiliens colles*, Cant. 2. 8. superando quævis opposita obstacula, patrisque duritiem emolliendo, tandem sacrum Habitum accepit, quodque in Sacro ordine vivere vellit, & mori, voto expresso, DEO facto, se obligavit.

5. Est modò, quòd tibi gratuler, Religio Dominicana. Quippe magnitudini, majestatique tuæ, infinitum propè Ludovicus addidit incrementum: in eiusdem apostolica paupertate pretiosus â te, acquisitus thesaurus est: ipsius operâ, qui nunc exiguum privatæ cellæ quærit perfugium quondam tuo cœlo portentosæ pulchritudinis adiungetur astrum. Debilis tibi videtur, & obnoxius infirmitati? cogita, quod *infirma mundi elegit DEUS ut fortia quæ-* 1. Cor. 1. 27.

que confundat. Qui modò Spiritûs munditiâ candidum exhibet cervum, olim animi fortitudine, & contra vitiorum opprobria, & contra Idololatriæ dedecora generosum demonstrabit Leonem: ipsumque eundem, quem nunc positiva, Simplicíque vides lanâ indutum, brevi posthac admiraberis, variis virtutum gemmis, melius Aarone Pontifice, cùm in anima, tum in pectore fulgurantem.

6. Calpurnio, nobilis Poëta, gratiosum describens Cervum; eccum, inquit, quo modo totus elegans totus venustulus, in mediis dimoratur liliis! Cervus ut sit, nihilo tamen minus frænum intelligit, & eidem obedit; iugum instar robusti iuvenci sustinet: inclamatus ut fidus canis accurrit: cuius ramosam frontem delitiosa corona, recentibus rosis contexta, circumambit:

Bucol. 6. *en aspicis illum,*
Candida qui medius cubat inter lilia cervum;
Scit frænos, scit ferre iugum, sequiturque vocantem.

Et Paulo Post: *Ramosaque tempora molles implicuère rosæ.*

Et verò, quis vestrum in hac delineaturâ, adumbratum non agnoscit nostrum Ludovicum? etenim, veluti Cervus, vitæ puritate totus candor, inter candida Dominici lilia cum plena felicitate degit; Sanctarum obedit constitutionum frænis; iugum deportat religiosæ observantiæ; quocunque vocatus, vadit, & quarumlibet virtutum floribus coronatus incedit.

7. Si sermo sit de modestiâ, principali iuventutis ornamento; tum ille cum facie eleganter composita, oculis retractis, toto corporis habitu coordinato, velut rosa nondum aperta, merebatur illud lemma: *Quasi absconditus vultus eius.* Si de victûs parsimoniâ; certando cum Ioanne Baptista, qui dictus fuit *non manducans, neque bibens*: Speciem referebat calicis rosæ; non alterius rei famelici, aut sitibundi, quàm roris cœlestis: Si de austeris

Math. 11. 18.

cor-

corporis macerationibus ; arca videri poterat testamenti, ciliciis cooperti ; quin imo rosa quædam, pungentibus spinis undequaque circumsepta : si de silentio ; tum ipsi, velut sui temporis Harpocrati rosa conveniebat, tam in claustris Dominici dimorari solita, quàm si in Brunonis eremo fuisset educata. Si de applicationibus, partim in Oratorio meditando, rosa erat, charitate rubicunda ; partim cum Libris in manibus, speculando : rosa, Sanctæ Litteraturæ fragrantiâ, odorosa. In summa, devotissimus fuit Beatissimæ Virgini ; quandoquidem & labra Semper habuit rosarijs florescentia ; & eadem ex collo, velut Religiosum tropheum continuò pendula. Ut perinde meritò dici poterit *tempora*, vel adhuc convenientius :

Pectora molles
Implicuère rosa.

8. Et quid ego de rosis ? cùm tantam ostenderit humilitatem, ut sæpissimè docuerit : *Spernere se, spernere nullum ; spernere mundum, & spernere sperni* : tantum affectum erga S. Eucharistiam ; ut aliud in infirmitatibus suis non anhelaverit confortamentum, quàm panis cœlestis supra Altare oblationem : tantum divini Iudicij timorem, ut frequenter amarissimè illacrimans, fuerit auditus dicere : quo vade, quo Sponsore certus ego reddor, quòd meam Salvaturus sim animam ? Quamobrem usque septies in Novitiorum fuit assumptus Magistrum : ut nempe per Sancti directionem, similiter ad optatam promoveretur Sanctitatem. Sed enim, quibus ego verbis, qua conceptuum sorte, queîs facundiæ ornamentis referre vobis potero tenerrimas sollicitudines tam Zelantis Magistri ?

9. Si cerva Atenogenis, raro prodigio, cum Evangelium recitabatur, solebat in Templum introducere, DEoque suum hinnulum offerre ; Ludovicus similiter tenerrimos suos filiolos Creatori, velut incruentas victimas continuò offerebat. *Lippo. ta. 6. Maiol. colloq. 7.*

10. Si

1. Sept. 10. Si cerva quædam Sancto Ægidio facta nutrix, lactis subministrabat dulcedinem; Ludovicus cum affectu plùs quàm materno, religiosâ doctrinâ, quæ lacte multò suaviores sunt, discipulis suis & instruebat mensam & condiebat.

L. 8. c. 32. 11. Si Cervi, Plinio referente: *Partus exercent cursu, & fugam meditari docent; ad præcipitia ducunt, saltumque demonstrant*: Ludovicus tyrones suos non minus edocuit cum tartareorum devitare venatorum insidias, tum regias virtutum frequentare semitas: & ostensis vivaciter tam vitæ mundanæ, quàm damnationis Æternæ præcipitiis, pariter incitavit, ut in strenuos saltus incumberent, & securitati consulerent.

12. Et verò, quod maximè refert, est, quòd sicut Cervo adulto, prolem suam post se habente figuratoque in actu transiliendi ab una ad alteram rupem, fuit supra scriptum: *Instruit exemplo.* Sic Ludovicus nihil unquam suis faciendum proposuit, quod prius ipse non practicavit. Consiliis energiam addidit cum efficaciâ operationum. semperque prius oculos discipulorum invitavit ad spectandum, quod faciebat; quàm aures ad audiendum, quod suadendo suggerebat.

13. Scribitur â Ioanne Magno, quod quibusdam venatoribus, natione Hunnis, se quondam præsentaverit excellentis pulchritudinis Cerva. Illis autem hanc prosequi incipientibus, cerva paludem mœotidem ingressa, subinde cum mensuratis intervallis in certa distantia passus firmabat; subin etiam caput versus ipsos reflectebat, quasi; ut sequerentur, inviteret, ac in gratuitam viæ ducem se se offerret. Secuti sunt equidem venatores provocantis bestiæ vestigia. At, quando rebantur, facturos se prædam innocentis feræ; unius Domini facti sunt, integræ provinciæ. Siquidem non solùm aquas illas, quæ perpetuò creditæ fuerant impertransibiles, feliciter superârunt vadum; verùm etiam

pri

primitùs detexerunt, posthac etiam obtinuerunt spatiosæ felicísque terræ dominium. Iam verò quid? docuit equidem Ludovicus discipulos suos illius beati regni pretium, iucunditatem, gaudium, acquisitionem. Sed enim ut eosdem potenter alliceret, ipse primus turbatam mortificationum, pœnitentiarúmque paludem ingressus, proprio exemplo & præcedebat, & deducebat. Spretis, quotquot offert terra; desideratisque solumodo, quæ superna patria promittit, delitijs, affectu extatico continùo Suspirabat in cœlum; illi Cervæ consimilis; quæ pridem in Franciæ insignibus depicta fuit cum alis, addito lemate: *provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Deut. 32. v. 11. Quasi sigillum, cordibus eorum notas impressit illarum virtutum, quas jam antea sculptas gessit in anima. Incitavit præterea eosdem, nunc ad vigilantiam, centum oculorum effectus Argos; nunc ad parsimoniam in victu, ad stuporem omnino sobrius; nunc ad sensuum macerationem, rigidis flagellorum ictibus in carnem suam crudeliter invectus. Et sic ipsissima scutica, quæ Magistri sulcaverat humeros, quasi ipsorummet discpulorum latera pupugisset, eosdem, veluti equos cursorios, ad quatiendam perfectionis semitam concitavit. Reduplicati supra Ludovici dorsum ictus, reboabant in iuvenum præcordiis; natantium propemodum in integro quodam lacrimarum diluvio; dum interim Ludovicus, sanguine suo superfusus gloriosæ Martyrij purpuræ ardebat desiderio.

14. Et quid nî dicerem, Martyrij; quandò, quotquot rumpebant præcordia, ad metam istam omnes tendebant anhelitus; scopum istum; intimiores omnes feriebant affectus? Qualibet die, cum ardore quodam seraphico recitabat orationem, à S. Petro Martyre dici solitam: *concede mihi, O Domine! ut moriar pro te; qui voluisti mori pro me.* Quotiés S. Vincentij Martyris intuebatur effigiem, O Chare DEUS! dicebat tum; & cur non ego quoque

O pertin-

pertingere possum ad eiusmodi dolorum proventus ? *Hoc semper quæsivi, hoc semper optavi.* Cúmque narratum esset; quàm plurimos Christi servos, ab Indis occidentalibus crudeliter occidi, mactarique; ut in illas provincias sibi quoque proficisci liceret, & instantissimè petiit, & cum importunitate quadam obtinuit. Efferat modò Laudibus, quisquis velit, deprædicet, extollatque generosam cervorum audaciam, quòd mari se committentes, â regno Siciliæ natatu se transvehant ad ora Calabriæ; â Libani, Carmelique montibus, ad Insulam Cypri; opportuna suæ fami pascua quæsituri: quando etiam noster Ludovicus immensam Oceani sulcat vastitatem; quatenus gentilibus illis præparare possit æternæ vitæ convivium. Cœli! vos primitùs obtestor: aperite, quotquot habetis, pupillas, ut intueamini, & admiremini bullientes in sinu Ludovici charitatis flammas, tam grandes, ut extingui nequeant omnibus maris aquis. Aquæ superbæ! (Oceani intelligo) humilitate dorsa vestra isti navigio; quippe in Ludovici persona, solem portat in sinu. Venti! etiam vos inclamatos volo; secundate propitiis flatibus Ludovicum, quando novum illum mundum transferre satagit ad Empyreum. Stellæ, pulcherrima cœli lumina! reduplicate, vos precor, vestrum nitorem, ut honoretis Ludovicum; quippe qui Christi portat effigiem, non quidem supra caput, ut Eustachij Cervus; sed in intimis cordis penetralibus, in ipsa lingua, orisque labris. Et vos, beatissimi Spiritus, Angeli Sancti,
Psal. 102. 20. qui estis *potentes virtute*: fovete, vobis Supplico, & confortate Ludovicum; utpote qui, dum salutis æternæ Ministrum se confert in occidentem; vitæ suæ propemodum reperit occasum: instar miseri cervi, rabie canum circumsepti, miserabilis meta factus, bene centum iniuriarum. Si navigat mare; tumultibus tempestatum turbantur aquæ. Si vehitur flumine, subversa navi, prius se videt sepultum quàm submersum: Si verba facit Idololatris;

per-

perversitas quærit, quod vituperet; ignorantia, quod reprehendat, malus interpres, quod sinistrè exponat. Si cuiusdam abscondit ossa sacrilegi, mortifero potatur veneno. Superata cùm est huius malignitas, ut ab aliis occidatur, armantur manus. Si vitam reprehendit cuiusdam adulteri, lubricam nimis, & scandalosam; accepto gravissimo ictu, vix non ipsam obit mortem. Si vitam ducit, puritate plenam, ut Angelus; ubique taxatur ut infamis Asmodeus. Si Baptismum conferendo cœlum aperit gentilibus, patefacta contra ipsum inferni abysso, porta reseratur diabolis. Et quemadmodum Cervus pascitur serpentibus; & ipse gravissimis sæpè saturatus fuit opprobriis, amarissimo potatus felle, atrocissimis iniuriis fatigatus. Verùm enim verò tantum unquam contra ipsum ferocire non potuerunt, Elementa, homines, dæmonia, quin non multò copiosius ad ipsius refocillamentum supernè depluerint gratiæ & retributionum solatia.

16. Fortunatus dici potuit Cervus ille, qui Caroli VI. Franciæ Regis Tempore, cùm â latrantium canum furore, tum ab armatis venatorum insidiis incinctus, non tam imperio quàm brachio regis, â verubus, telis, hastis, venabulis subtractus fuit, & vitæ conservatus: *quem venabulis, aut iaculis, aut ferro appeti rex prohibuit* Sed enim, quàm singularior, quàm insignior multò fuit Ludovici felicitas! â præpotenti DEI manu multis vicibus ab inimicorum insidiis protectus, & ab armis liberatus. Unus mihi successus sufficiat. Efferatus quidam Indianus, & vindictæ cupidine fremens, ferrum vibrat contra Ludovicum toto nisu totoque conatu, ut medium transfigeret. Quid fit? quasi in oculi ictu, inter utrumque surgit & germinat arbor, Sanctum videlicet, & homicidam: & huius retundit gladium, illi conservat vitam. Quis majus unquam, & memorabilius percepit prodigium? Res olim fuit, & stupore plena, & admiratione dignissima, quòd

Guagnin l. 9. c. 11.

aquæ maris Erithræi, in adamantinos coierint aggeres, quibus Israëlitæ defenderentur: murus induerit ignem, quo protectio S. cuderetur Ambrosio; telam contexuerit aranea, quâ, velut cortina regia, S. Petrus Martyr abscondere tur, & persecutorum rabiei eriperetur. At verò, quòd paucissimis momentis, è terra germinaverit arbor, egerit in terra radices, sumpserit incrementa, adoleverit, ereptura fatis Ludovicum; id enim, est quod omnem evitat captum, invitat admirationem. Magna Cœli Bonitas! qualem fuisse, dicere licebit, arborem? Olivam? ita sanè. Quoniam inde supra innocentem divinæ misericordiæ stillavit Balsamum. Laurum? quid nî? quoniam ipsius operâ cadentia vindictæ fulmina fuerunt discussa, & â Dei servo repercussa. Platanum? meritò. Quoniam quotquot habebat folia, tot ipsius defensioni & opposuit & interiecit scuta. Palmam? penitus omninò. Quoniam ab hac Bertrandus promotus fuit, ad obtinendam ab Indiana barbarie victoriam. Nihilo tamen minus dicite vos mecum N. quod Vitæ fuerit Arbor. Arbor, â DEO plantata, in animati paradysi vicinia: arbor præparata pro innoce[illegible]tis Adami protectione? arbor, quæ violentum in se[illegible]pit ferrum, & ab heroë nostro mortis avertit fatalitatem. Sed inferius non est jam enarrato, quod subiungo prodigium.

17. Nobilis quidam, â sanguine clarus, obscurus â vitiis, animo induxit, sclopeto Ludovicum occidere. Arreptum igitur dum in eo est, ut exoneret, se manibus Crucifixum tenere conspicit. Huius enim figuram momento citiùs sclopetum induebat. Mutatum itaque fuit instrumentum occisionis, in tesseram Redemptionis; & ferrum mortiferum, in vitæ lignum. Atque quod natum erat vomere flammas ad interitum; ex quinque plagis sanguinis guttas fundit ad propugnaculum. Quo viso truculentus ille lupus abiit in Agnellum, serpens in columbam. Cæterùm quanto tibi fuisse debuit solatio Ludovice? quòd desti-

destinatus equidem fueris ictibus odij, telis autem præventus amoris. : quòd pectus tuum, veluti scopus impii cuiusdam petitum furore, ne transfigeretur, â Redemptoris impeditum sit pietate ? Profectò casus iste veritatem addidit annotationi Pluctarchi, quâ memoriæ prodit, quòd Cervi carnes, cùm clavis æneis perforantur, plerumque â putredine præserventur. Direxerat in te malum odium, queis perires, ferreos globulos; sed prius jam in sinu tuo receperas ferreos Redemptoris clavos, & hinc irritatus interitus.

18. Numerosa itaque fuerunt mala, è quibus ipsum eripuit; Numerosa non minus bona, quibus ipsum ditavit DEUS: Cervo simillimus, aut illi, quem describit Ovidius; aut qui reperitur in Franciæ insignibus, aut, quem pro symbolo suo sibi elegit Lucretia Gonzaga. Descriptus ab Ovidio, monilibus ornatus erat, & gemmis pretiosis. *10. Met.*

Pendebant tereti demissa monilia collo. *Mathiol. coll. 7.*

Ostentatus in Franciæ insignibus *auream coronam* : & *Hbeat. v.* etiam *auream torquem in collo gestabat.* Symbolizato â Lu- *f. 110.* cretia, *Monile* erat *ex adamantibus & topatiis.* Et hinc, *H. Riv. Cervus.* vel hisce cervis quidni simillimum dixero Ludovicum, quando & caput, & pectus, ipsius infinitis gratiæ thesauris est impletum & adornatum ? Quid ? quando tota ipsius vita meis est vermiculata Prophetiis, visionibus, revelationibus, miraculis, tam numerosis, tamque grandibus, ut inde mentis captus reddatur suspensus, supercilia erecta, linguæ attonitæ, tota rationis œconomia stupefacta.

19. Facilem, scio dabitis assensum N: & in nostrum Lubentes descendetis sententiam, quando consideratum â vobis fuerit quòd ad studia Salamancæ frequentanda missus in ijsdem autem exercitatus, inter meliores tamen evaserit totius Hispaniæ Prædicatores: quòd destitutus pectoris robore, vocis firmitate, Linguæ promptitudine, stili seu verborum delectu, gratiâ propositionis, cæterisque Rhetori-

cæ facultatis ornamentis, nihilò tamen minus, velut si virgam illam prodigiis inclitam, tenuisset in lingua, saxea nonnunquam corda emolliit, in copiosissimas lacrîmas liquefecit, atque cùm ad deflenda tum detestanda scelera promovit: quòd Indis DEI Verbum non aliâ, quàm Hispaniæ vernaculâ linguâ prædicaverit, ab illis autem barbaris intellectus tam bene fuerit, ut ultra tria illorum millia ad Ludovicum venerint, conceptâ jam conversione Baptismum recepturi. Quid nî pectus ipsius sapientiæ divinæ gemmis dotatum dixerimus, & adornatum? quòd porrò precum efficaciâ multos è lectis evocaverit, variis *morbis* obnoxios; panem providerit, diram famem perpessis; naufragiis subduxerit periclitantes in mari naves; quasdam verò præcipitio dederit & submerserit, ad Mauros pertinentes; qui vastatis Christianorum oris, omnia cædibus & luctibus involvebant. An non monilis instar erant, quas â Numine acceperat, *virtutes, gratias curationum, opitulationes?* quòd solo crucis Ligno, multoties monstruosas gutturis siccaverit plagas, tigrides inter, aliasque ferocissimas bestias medius iverit & securus, cruce duntaxat armatus; crucis itidem signo incendium stiterit, cuidam vineæ jam jam magno cum damno communicandum: procellas composuerit, insanis tumultibus mare conquassantes. Ut adeò quasi suo portâsset in capite *coronam auream*, regiam ipsius agnoverint potentiam eidemque se subiecerint ægritudines, feræ, elementa: quòd cum crucula quadam, ex iuncis, aut cannulis, ab ipso formata, impetuosam sæpe Dæmoniorum represserit superbiam; quòd infelicem quandam, fœtum eniti nequeuntem (quòd situm indebitè mutâsset) cingulo suo, lumbis applicato, felicissimè promoverit ad partum; suo usque Rosario, & ab infirmis abegerit ægritudines, & pertinacissimos quosque peccatores ad pœnitentiæ rapuerit fructus; quosdam etiam vitâ functos ipsi morti è manibus extorserit. Quisquamne igi-

1. Cor 12. 28.

igitur negare fuerit ausus, Cervum nostrum aureum gestasse monile, privilegiatam imaginem; *seu potestatem calcandi super serpentes, & virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & ut Languores curaret*? verbo, *Cerva fuit gratissima, & gratissimus hinnulus.* *Luc. 10. 19. 9. 1. Luc.*

20. Quemadmodum autem DEO Charissimus - ita DEI quoque servis fuit gratissimus, multis honorum officiis cultus, & magna semper in existimatione habitus. Observatum ab eruditis est, nonunquam cervos nobilium nubiliumque virginum operam occupâsse, & quandoque, quâ iucunde recrearentur, occasionem præbuisse. Atque talem refert Virgilius habitum à Sylvia: subinde â Virgine eburneo pectine perpolitum; quandoque in limpido fonte lavatum frequenter varijs herbarum florumque contexturis incoronatum. Neque Dominæ manus aversabatur bestia: sinebat se tangi, palpari, tractarique, prout lubitum: porrectos etiam in mensa cibos accipiebat gratanter: Et quamvis libertatem suam per campos & nemora circumferret ingruente tamen nocte herilem repetens domum, solito strato se recepit.

Omni Sylvia curâ *7 Æneid. v. 487.*
Mollibus intexens, ornabat tempora sertis,
Pectebatque ferum; puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensaque assuetus herili
Errabat sylvis, rursusque ad limina nota
Ipse domum serâ quamvis se nocte ferebat.

Et hanc quidem Cervi familiaritatem in Bertrando renovatam, centum probari posset argumentis. Accumbenti ad mensam, sœpius assidere dignati sunt SS. Dominicus & Vincentius Ferrerius, & ipsius esse commensales. Seraphicus S. Franciscus ipsum invitat & admittit ad sacratissimi sui pedis osculum; & manibus ambabus genas blandè palpando, spem ingerit æternæ salutis indubiè consequendæ. Patriarcha Dominicus ad dexteræ manus admittit

tit osculum ; Sanctæ, MARIA Magdalena, & Catharina V. & Mart: tristitiâ deiectum erigunt, & afflicto curas demulcent: & ipsa quoque DEI Mater, ex quadam imagine, reverentiâ passim cultuque celebri, miraculosis colloquiis desolatum consolatur.

21. Amplius. Tantis in amoribus habuit Ludovicum æternus Pater, ut eidem cum Gloriosa majestate sua velut Eliæ spectandum sedederit: cuius intuitu totus mundus sibi vivus coivisse, & amplitudinem suam in parvissimam sphæram revocâsse. Quid? velut dilectum *discipulum*, etiam filij DEI visu dignatus ipsum est, gementis sub cruce, eo penitus modo, quo iacuit in Calvario; cuius aspectu cor Ludovici in pelago quodam natavit dulcissimæ amaritudinis, & in mari amarissimæ suavitatis. Denique Spiritus quoque Sanctus, in columbæ specie, non in aures, ut S. Gregorio Papæ, sed labris purpureum rostrum inseruit, & in æternæ Gloriæ pignus, dulcissimum osculum impressit.

22. Quid itaque mirum, vultum Ludovici, vultui Moysis evasisse similem, â continua cum DEO conversatione, immenso lumine coronatum? quandoquidem quòd Apostoli divinæ luci tam strictè adhæserint, Mundi lumen evaserunt. Et verò, seu se se colligeret ad *perorandum*, priùsquàm ascenderet in pulpitum, animi fervor jam jam obtinuerat vultum; & priùsquàm tonaret voce, jam fulguraverat vultu: seu dein incruentum altaris offerret sacrificium, duo splendidissimæ lucis nimbi ab alto delapsi circumfuderunt, alter quidem hostiam consecratam, alter consecrantis officio defungentem: quo visu liberis oculis frui duobus duntaxat concessum erat; recreari, universis circumstantibus: seu demùm in die Ascensionis repræsentaret supra pergamum, Sublatis & oculis & manibus in cœlum, Gloriosum ad firmamentum Christi conscensum; prodigium! exclamavit circumstantium nonullus, prodigium!

en

en, in persona Ludovici Salvator ipse ad Empyrei se transfert gloriam: Siquidem quàm ex aspectu, tam etiam toto vestium habitu immensum effuderat Lumen, & eiusdem etiam corpus ad insolitam elevabatur altitudinem.

23. Et hoc quidem vitæ tenore Ludovicus noster, Cerva *charissima & gratissimus hinnulus*, attraxit devicitque sibi & hominum obsequia, & Sanctorum favores, & Singularia privilegia DEI. Quoniam autem, ut regius asserit Psaltes locus Cervorum proprius est montium altitudo *Montes excelsi cervis*: dum in paupere lectulo infirmus extenditur; dum internis DEI vocibus admonetur: *fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum*, dum cellula, qua decubuit clarissimo Spendore illustratur, Ludovicus, cùm è sylvestribus Mundi senticetis, tum ex obscuris terræ vallibus elevatus, ad Gloriæ montem ascendit: ubi deinceps per nunquam interrumpendos æternitatis circuitus beatissimâ pompâ triumphabit.

Psal. 103. 18.
Cant. 8. 14.

Pennæ Columbæ

PRO FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ de PAZZI.

TRIBVTVM OCTAVVM.

Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Psal. 67. n. 14.

APeruit Sapientia Divina, dum hoc *formavit* universum, immensum stupendarum novitatum theatrum; dum verò volucrum creavit genus rarissimorum collegit, atquè indicibilium propè portentorum epilogum. Res admiratione digna, quòd, ubi quadrupedia, terram è qua formata sunt, constanter inhabitant; pisces in aquis, è quibus conflati suas trahunt moras; solæ volucres, per aërem vagentur, cœli cives, & inquilini. *Pecora campi, volucres* Psal. 8. 8. *cœli, & pisces maris.* Admirandum non minus, quòd facilitas volatûs, quo se se tollunt in altum, à pennis oriatur, naturâ suâ gravibus & ponderosis; quamobrem nonnullus ut

ut pro symbolo servirent, ijsdem hoc lemma subscripsit: *aggravant, & allevant.* Admirandum denique, quòd aurum, argentumque metalla conditione sua, valde gravida atque in ipsis montium visceribus hospitantia, explicare debeant candidam candentemque columbarum pompam, cùm in alis, tum in dorso: *pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Et hæc quidem admiranda, quæ singulis propè diebus ostentat natura, sæpe renovari videntur à divina gratia. Hæc enim dum ex undis Baptismalibus excipit fideles, rarâ metamorphosi ipsius efficit paradysi cives: pennis etiam, quibus ad eundem se sublevent, instruit; pennis inquam, ex vitæ asperitate, laborum oppressione, operum pœnitetniæ frequentatione, aut horum merito pullulantibus. Et quamvis mortalis huius corporis graventur, aut etiam opprimantur pondere: Nam *corpus*: prout asserit Sapiens *quod corrumpitur, aggravat animam*: nihilo tamen minus argenteo Angelicæ puritatis candore aureoque divinæ charitatis lustro eosdem investit, nisi melius æquè ac columbas condecorat, sicque dotatos, atque ditatos Mundo repræsentat. Sap. 9. n. 15.

2. Et hisce ductis ruditer lineis, gloriam tuam O MARIA MAGDALENA de Pazzi! definire animus mihi est, aut aliquatenus depingere. Tu nimirum, è mediis Arni, fluminis, â fama pridem nobilitati, undis egressa, stupendâ quadam agilitate temet sublevâsti, atque ad ipsam DEI Regiam promovisti: & unde tibi pennæ, queîs tam altùm evolâsti? scilicet ab inediis, macerationibus, vigiliis, pœnitentiarum, quos frequentâsti, rigoribus. Quin sub specie nobilis, simul tamen etiam humilis virgunculæ, velut honorata columba, argenteo pudicitiæ candori, aureum maritâsti divinæ charitatis fulgorem; digna Prophetæ Oraculo: *Penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Et hasce quidem argentum æmulantes, auroque non dissimiles pennas, ut paululùm proximiùs contempler,

templer, in præsens me accingo, N. Verùm enim verò quoniam laudis tuæ O Maria Magdalena! Materia, multùm absimilis non est, immenso cuidam mari, ipsa vires accommoda, atque prodigiosa columba cum sis; pennas administra; quibus condignè elever, atque felicis instar Dædali cuiusdam ad portum gloriosè promovear.

3. Primus, isque reliquis, quem nobiliores habent volucres, instinctus, est, amare plumas, iisdemque velle convestiri. Vix ovi fracto putamine, aërem gustant, jam nidum abhorrent, aëremque volatu decurrere gestiunt. Hinc Aquilæ pullus, in actu cum apertis alis levandi se ex nido, à nonnullo fuit introductus dicere: *Quis det mihi pennas?* nimirum ut naturæ sequar impulsum, innatum consoler genium, perque cœli patentem campum libero volatu circumeam. Cæterùm plumosis aëris civibus, longè felicior nostra fuit Maria Magdalena. Siquidem quo tempore pennas illi desiderant, jam pullulabat hæc, jamque possidebat. Hærebat equidem in paternæ domûs nido tenera puellula; verùm cum illustri virtutum remigio, firmamenti petebat sublimitatem, & instar columbæ divino sole irradiatæ, pectus ostentabat, mille prærogativis distinctum & ingemmatum. Et hîc quidem charitate tam viva ut à domesticis necessaria recipiens alimenta, affectu columbino eadem ex ore rursus eximeret, ut pauperibus dispensaret: ibi modestiâ tam exquisitâ, ut rara corporis intuens, pulchraque ornamenta, velut columba in profundos prorumperet gemitus; non alio nitere gestiens ornamento quàm simplicissimâ sua puritate aut illa saltem supellectili, quâ in se passi Redemptoris exprimeretur forma: hîc devotione tam ardenti, ut familiarium colloquiorum omnibus viribus devitans & frequentiam & vanitatem, conclavi suo reclusa, noctium horas exegerit orando; diei verò, columbæ adinstar divinis meditationibus indulgendo: ibi Zelo honoris DEI tam ferventi, ut audiens quandoque verba

ba, Christianâ professione longè indigna, & amarissimas ex oculis stillaverit lacrimas, & dolentissimos ex præcordiis profuderit gemitus: hîc mortificatione tam exacta; ut velut in ciliciis suas haberet delitias, nunc teneramembra rigidis exciperet scuticis, nunc ruvidum supra saccum brevem caperet, & inquietam requiem; semel ex spinosis ramis horrendum contexens redimiculum, eodemque & latus circumdans, & frontem, in acerbissimis cruciatibus integræ noctis transigeret spatium: paucis; affectibus in DEum tam elevatis; ut sermocinando cum doctis, id unicè flagitaret universos, quatenùs ad captum suum sibi exponerent mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Ut adeò tanquam Mercurius, deferendo pennas in capite, sursus Semper anhelaverit, ad apprehendenda scilicet obiecta, ordinem & limites naturæ supergressa, cœlestia, divina: quatenus in eiusmodi sublimissimæ, doctrinæ pluvia intinctis alis, posthac ad alterius Spiritualem profectum nimbosum derorare posset influxum.

4. Curiosum est, quòd à S. Narratur Basilio Magno; videlicet, quòd subindè Columbarij pretiosis unguentis domesticæ cuiusdam Columbæ inungant alas; cuius deinceps fragrantiâ indè transpirante sylvestres afficiuntur, ad sequelam illectantur, & in Columbarij potestatem adducuntur. *Vnguento alas illius perungunt; sinuntque coniungi agrestibus. Illa verò per unguenti fragrantiam agrestem illum ac liberi pastûs gregem transfert in potestatem Columbarij.* *Epist. 175. ad Jul.* Et verò, quis in succinctâ narrationis huius curiositate exprimi non videt ministerium, ad quod supremus dispositor nostram præordinavit MARIAM MAGDALENAM? Conducendi videlicet simplices, ac sua simplicitate sylvestribus æquales columbas, ad sui agnitionem ad obsequium, ad amorem quoque, & æternam fruitionem? Loquor de teneris adhuc annis N., in quibus puellula nostra ad villæ vireta conducta ut genialiter se recrearet, ali-

am animi delectationem non ostendit quàm in docendo rusticorum Filias, orationem videlicet dominicam, Salutationem Angelicam, & Sanctæ fidei symbolum. Ut adeò quod ad miremini, dum Discipulæ gerebat imaginem jam Magistræ sustinuerit dignitatem. Labia illa, queîs Paulò antè mammæ fuerant subtractæ nunc lacteum stillabant liquorem, doctrinæ videlicet Christianæ, quâ ceu Spirituali alimento proximorum reficerentur animæ. Quarum Sanè numerum ingentem lucrabatur Salvatori. Ut proindè, dum flos videri poterat in Herba, jam Fructus produxerit excellentes, cùm ad Dei honorem, tùm ad proximi profectum: propriam sibi faciens Ecclesiastici periodum: *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Neque solùm cum linguæ suæ Pennâ digito Spiritûs Sancti motâ & directâ, in innocentium animarum candido pergameno, characteres inscribebat Sacræ Doctrinæ, verùm etiam ut pauperum Discipularum sibi conciliaret affectum, earundèmque facilitaret auscultationem, generosa manu munera quoque distribuit huic fortè lineam vestem, illi periscelidem alij strophiolum.

Ecc. c. 24. 23.

5. Quidni puellæ nostræ celebraverimus ingenium; quippè quæ telæ candore, innocentes animas attrahere studebat ad fidei canditatum. Distribuit discipulis suis gremialia, ut illæ Vicissim ad pietatis colligerentur gremium; Strophiola quoquè ac sudaria dono dedit; ut maiori cum promptitudine in pectus suum reciperent Nazareni effigiem. Dixerit olim gentium Apostolus Paulus: *Mulieri docere non permitto*: legem hanc MAGDALENÆ infantia, aut non Sensit, aut in eâdem dispensâvit. Fuerit protestatus S. Hieronymus. Quòd *Sudariola & munuscula Sanctus amor non habet.* Strophiola sanè aliàque domestica dona, per Magdalenæ manus distributa cùm in amoris Sancti cedebant symbola tum in fidei incorruptæ pignora, ac sympathica cordium & retia & vincula. Sigillaverit

1. Timoth. 2. 12.

verit magna sua, quæ patravit Elias opera ruvido quem, discipulo reliquit pallio; profectò ubi sua finivit Elias Magdalena sua inchoavit opera; artè omnia Discipulis suis dispensando lanea lineàquè munuscula. Ut planè cernere mihi videar, observatas olim ab Ezechiele manus hominis sub pennis absconditas: *manus hominis sub pennis*; quandoquidem Magdalena nostra pennis doctrinæ suæ aliis docendo communicatæ manuum sociavit liberalitatem: & sicut in doctrinæ candore tota erat argentea. Sic in charitatis ardore tota erat aurea: merita, ut de se diceretur: *penna columbæ deargentata, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Ezech. 1. 8.

6. Interim annis progressa conniubióque paulatim natura sœpius â parentibus ad nuptias non solùm allecta, verùm etiam cum omni affectu invitata fuit. Verùm Magdalena mallens sponsare se morti, quàm homini mortali; Virginitatis suæ lilium in tuto posuit, transplantando nimirum in hortum, undequaquè cum omni diligentia clausum, & obserratum. Loquor hîc N. de Monasterio S. Mariæ de Angelis ad ordinem Carmelitanum pertinente: ubi Magdalena, pallio Eliæ cooperta pallio penitùs niveo, ad obsequia Cœli Reginæ, sole circumamictæ cùm vivissimo affectu sese offerebat. Et quidni admiremini Eruditi; videntes columbam non ad impudicæ veneris carrum sed ad castæ Dianæ, seu Virgineæ Matris altare consecrari? Et huc, O quàm benè quadrat Mantuani Homeri reflexio! nempè, quod columbæ nidos suos potissimum in recessibus ponant, & pumiceis latebris: *Cui domus & dulces latebroso in pumice nidi*: quandoquidem etiam columba nostra, non alibi vitæ suæ voluit exigere dies, quàm in saxeis cavernis, & Carmeli solitudinibus: *Columba mea, in Foraminibus Petræ, & in caverna maceriæ*: Monasterium cui cognomen ab Angelis receptâ in se Magdalena, cùm in vultûs pulchritudine, tum in Spiritùs munditie, præferente Ange- 5. Æneid. 214. Cant. 2. 14.

Angelum, carne vestitum, videri tum poterat, mutatum in Empyreum. Ipsa verò, vel, ut melius dicam, cor eiusdem in ineffabilis dulcedinis natavit mari. Tantam suavitatem DEUS in eiusdem depluebat pectus, ut posthac multoties fuerit contestata, nec magis lœtum â se, nec magis felicem fuisse transactum diem. Atquè testimonium ipsi perhibere poteritis religiosa claustra; quæ sœpius Benedictionis, gratiarum actionis, laudisque resonâstis vocibus, â columbâ nostrâ in philomelam mutatâ, supremo Creatori decantatis: vos quoquè Candidi parietes quos Magdalena frequentissimis excepit osculis, Sanctificavit amplexibus, Sacravit disuaviationibus: vos itidem crates, nostræ stultarum prudentissimæ, Semper malè grati. Quos proinde totis viribus vitavit, ne Spiritûs Fervor per eosdem evaporaret: vos etiam, si nominare sic lubet parlatoria, quæ, dum â Magdalena, imperio Antistitis cogente, accedebamini, alios nunquam audivistis discursus, quàm qui saperent pietatem, redolerent devotionem, Spiritualem inspirarent profectum, instillarent Sanctitatem. Attollite, vos equidem coniuro gelidas è sacris tumbis frontes O coœtaneæ, columbœ nostræ; attollite, & dicite: an unquam â vobis visa fuerit Magdalena nostra, aut modestior in oculis, aut circumspectior in verbis aut cautior in Societatibus, aut collectior in orationibus, aut extenuatior in ieiuniis, aut humilior in obsequiis, aut promptior inexequendis imperiis, aut ferventior in devotione, aut exemplaricor in morum suorum inculpabilitate. Tota, quidni dicam? erat velocitas, quoniam tota pennæ; tota puritas, quoniam ex finissimo argento. Tota charitas, quoniam auro cooperta, & hoc septies probato: *penna columba deargentata & posteriora dorsi eius in pallore auri.*

7. Cæterùm dum Magdalena, tota constans è pennis, non Solùm currebat verùm etiam volabat in obsequiis Dei & Sacrorum imperiis, permisit Dominus, ut, de quo

quo loquimur, aurum, argentúmque poneretur in ardenti crucibulo gravissimarum tentationum. Si, prout memoriæ proditur â Sancto Paulino, mos olim erat, supra crucum truncos columbarum effigies collocare; nostra columba, non ab unâ solâ, sed etiam â quadam integrâ crucum sylvâ fuit circumdata, & miserandum in modum torta. Per integrum fermè quinquennium (horresco referens) in metaphorico quidem, sed horrendo tamen leonum lacu sepultam, se reperiebat. Imaginem omnia præferebant, cavernas inferni dilatatas, emissásque hinc furiarum abominabilissimas, eo duntaxat fine, ut Magdalenam invàderent, turbationibus involverent, impugnarent. Taceo hîc, quòd Formis, figuris, aspectibus etiam horribilissimis apparendo, gravissimo timore eandem impleverint; è scalis magno cum impetu præcipitaverint, instar viperarum insilierint, dentibus arripuerint, arrectis rictibus assibilaverint: id solummodò dicam, quòd immundæ Harpiæ imaginibus ultrà modum turpibus, & obscænis afflixerint castissimam eius phantasiam; quòd diabolici Leones, flatibus graveolentibus, rugitibusque superbis eandem provocaverint ad insolentem aliorum contemptum, & fastuosam arrogantiam: quòd pallidæ Gorgones caput cerastis incrinitæ, perfidiæ venenum advomuerint conatæque sint ad Blasphemias inducere, & ipsius etiam Atheismi abominationem; quòd Cerberi trifauces importunis latratibus eandem animaverint, ad ingluviem, ad crapulam, ad ebrietatem; quòd sphynges malignæ subdiderint, ut sacrum, quem gerebat, habitum dilaceraret, seque, relictâ domo religiosâ in clandestinam, apostaticamque fugam coniiceret; quòd effrænes, solutæque Catenis Megeræ manus eius ferreis armis adiuverint, incitaverintque, ut eadem in se converteret, per proprium pectus exigeret, desperatæque rabiei immolaret. Miserabilis columba, quid erit denique factura, has inter ferarum apertas

fauces, acuatos ungues, furibundos assultus, barbaros strepitus, ferocissimos Fragores?

8. Traditur memoriæ, quòd, quando Tyrus, Urbs illa celeberrima, Christianorum armis, undequaque, terrâ nempè marique obsidione cingebatur; Columba quædam supra campum, ubi militum statio tum erat, plena die volaverit. Quoniam autem vel creditum, vel saltem suspicatum, volantem esse Tabellarium, hinc clamatum ab universo milite, vociferatum, strepitatúmque pro virilibus viribus, & effectum denique, ut terroris horribilitate devicta; volatum truncaverit, deorsumque deciderit. Aliæ quoque leguntur horrendo bombardarum sonitu interceptæ extinctæ, & præcipitatæ. Iam verò quid Magdalena, quid columba nostra? anne & ipsa consternata, Spiritu turbata, animo prolapsa? minimè; tametsi tota inferni abyssus contra eandem infremuerit. Heroica quadam promptitudine inter spinas se volutando, aut ex iisdem thoracem efformavit, ad innocentiæ suæ defensionem; aut sepem connexuit, ad puritatis suæ candidissimum conservandum lilium. Nonnunquam sibi vehementiùs irata, supra dorsum, velut super, animatam incudem frequentissimos exoneravit ictus, melius, fabuloso Vulcano, arma sibi fabricatura; arma nempè lucis, & insuperabilis resistentiæ. Templum & Altare quæ maximè frequentabat, aptissimè servierunt Magdalenæ, illud pro turri fortitudinis, hoc pro propugnaculo & munimento: *à facie inimici* Psal. 60. 4. Ut tartaream deiiceret potentiam, martiali usa ariete est, agno nimirum incruento, frequentissimè accepto; ac, ut auxiliares â Cœlo seu Angelorum, seu Sanctorum impetraret copias, voces adhibuit orationis, ceu totidem tubas, aut inclamatorias fistulas. Ut adeò diabolica, quæ tibi O Generosa! indixit infernus, certamina, eò præcisè deservierint; ut tuæ, quas viriliter obtinuisti illustriores redderentur victoriæ. Niveus pectoris tui candor, velut Æthnæ

næ Montis, inter flammas fumosque intactæ mansere, & intemeratæ. Leones, Galli cantum timere soliti, columbæ fugerunt gemitus. Callidissimi ut sint Averni venatores, in vanum tamen ante te sua tetenderunt retia; cur? quoniam optimè pennis eras provisa, & instructa. Conformiter effato sapientis; *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*: Demum quantumcumquè profundus fuerit lacus, quem eruerunt, intricatúsque labyrinthus, quem fabricaverunt fuliginosi illi, damnatique Architecti, indè tamen cœli favore protecta, feliciter evolâsti, sublata ab illa puritate & charitate, de quâ sæpius jam dixi; *Pennæ columbæ deargentatæ.* Proverb. 1. 17.

9. Cæterùm ab hoc argenti candore aurique lustro singulares posthac pullulaverunt industriæ; quando nimirum ad viginti trium annorum ætatem, perventa, Novitiarum Magistra creata est. Quam verò dixerimus Magistram? Magistram, quæ redolens, nescio quid divinitatis, cordium penetraverat secreta; soloque intuitu & afflictis instillabat solatium, & peccatores trahebat ad pœnitentiam; Magistram, cui necesse non fuit, ore docere, seu lingua; quoniam eiusdem & nutus, & gestus, & incessus & motus & respirationes, & suspiria, velut & Ioannis Baptistæ vivæ voces erant, & voces ædificationis, voces Spiritualis lucri, voces Sancti cuiusdam Dominij: Quid? solâ præsentiâ persuadebat, & nihil etiam operando, res magnas operabatur: Magistram, quæ, quasi pavimentum foret, ex candido nitidissiméque polito argento, puros reflectebat, Spiritualesque quibusvis in se contuentibus inserebat affectus; & tanquam aurea massa â sole divino irradiata, tam viva remittebat Sanctitatis incentiva, ut, siqui quorundam reatuum sibi conscij erant, indè concussi, territi, taliterque commoti fuerint, ut visum eiusdem ferre non potuerint: Magistram, quæ, velut Angelus â S. Mathæo descriptus, & in vestimentis aut moribus potiùs nivis

gerebat candorem, & in vultu fulguris vibrabat formidabilitatem: Magiſtram, quæ lampadis adinſtar ad triſtium levamen luminis diffundebat claritatem; & ad vitiorum emendationem ignis fervorem; de quo dici poterat: *lampades eius lampades ignis, atquè flammarum.* Magiſtram deniquè, quæ cùm, ad normam columbæ Noëticæ, viridem in ore portabat ramum olivæ, Miniſtra pacis, Salutis & perfectionis. tum, tanquam columbæ Tripolinæ flammas oſtentabat in oculis, incentiva venerationis, terroris, & Maieſtatis.

Cant: 8, 6.

10. Venerabilis Eccleſiæ græcæ mos fuit & conſuetudo ſupra fontem baptiſmalem, Sacra itidem altaria, columbas ſuſpendere, ex auro, argentoque effigiatas: uti colligere eſt, ex ſynodo Conſtantinopolitana quinta, ubi legere licet: *Columbas aureas & argenteas in formam Spiritûs Sancti ſuper divina lavacra & altaria appenſas.* Narrat item Amphilochius in vita Baſilij magni, quòd magnus iſte Sanctus columbam fabrefieri curaverit ex auro ſolido, in eâdemque ceu pixide Sacratiſſimum ſalvatoris corpus reponere conſueverit: *fecit columbam de auro mundiſſimo & in eâ poſuit portionem.* Et verò, ſi quod ſentio, calamo confidere audeo, tum opus fuit MARIA MAGDALENA, facturàque ſolius ſupremi Artificis: ad obſequia divinitatis tanquam columba vel aurea, vel argentea mirabiliter electa & præordinata. Etenim, ceu Moyſes, olim, & ipſa Sæpiùs oraculorum depoſitaria fuit, Sermonum, colloquiorumque Patris æterni Secretaria. Ceu Mater divina, ſi non concepit in utero, intra brachia tamen ſua, felicitèr accepit divinum parvulum, Litteris etiam aureis & ſanguineis hanc in corde inſcriptionem: *Verbum caro factum eſt.* Ceu Sancti Apoſtoli, Spiritu Sancto ſuperfuſa fuit, cum tanta plenitudinis abundantia, ut eiuſdem ferendæ propemodùm impar, cor ſibi diffringi nonnunquam crederet, & in fruſta lacerari. Quam ob rem â Sacri fervoris impetu

in-

intrinsecùs dominante agitata, nunc coruscantis adinstar fulguris intra claustra discurrere; nunc immanem ex ipso vultu vaporum capiam, ex seraphicis ardoribus sufflaminatam, emittere; nunc temperandis illis ardoribus currere ad fontes & puteos, vestimenta dissolvere, sinum aperire, intra frigidam brachia demittere, eâdem & pectus superfundere, ac quoddam refrigerium quærere. Verùm in vanum omnia: nam *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Cant. 8. 7. Vidisses in Magdalena quendam Phylippum Nereum aut quandam Theresiam calore divinitatis languentem aut aliquem Franciscum Xaverium, remotis â pectore vestibus ingemiscentem: *non amplius Domine non amplius*: nunc Sancto quodam furore correptam & inclamantem: Amor divino, quorsúm mecum Misella? tui ferendi par amplius non sum, remitte sponse mi, flammas tuas & easdem in te denuò recollige: nam earundem tam intensarum penitùs incapax sum; & tam pretiosarum, prorsùs indigna: discipulæ Eliæ, animæ devotæ, DEI servæ & famulæ venite, *fulcite me floribus, stipate, me malis quia amore langueo.* Cant. 2. 5.

II. Non contenta columba nostra, amoris ægrotare dulcedine; summoperè desiderabat dolorum torqueri Sensibilitate. Nec surdi fuêre superi. Nam correpta deglutiendi quosvis etiam cibos difficultate tam enormi fuit, ut per annos omninò quinque, alia non sumpserit alimenta, quàm simplicem panem, & aquam putealem. Et quoniam solida erat etiam hyberno tempore, nudis incedere pedibus, fissuris ijdem disrupti fuêre, tam enormibus, cumque tantâ cruciatûs acerbitate, ut movere se non potuerit, citra alterius sustentantis adminiculum. Quid? corpus illud, quod DEI dici poterat Templum, in portatilem mutatum fuit infernum; per duorum circiter annorum spatium febribus afflictum tàm ardentibus, ut consumpto penitùs humido radicali, ad extrema fuerit deduc-

ta. Tormentis istis dentium accessit dolor, tam acutus, tam intensus, tam penetrans tàm exquisitè affligens, ut, nisi stultorum (*dèi Pazzi*) nata fuisset Sanguine (quanta Gloria accedit huic familiæ áb huius cognominis humilitate ?) facilè deduci potuerit ad insaniam. Quo circa dentes tantorum dolorum vehementiæ cedentes, sese dediderunt, atque unà omnes ore exciderunt: ipsáque Dei serva, tam macie consumpta, atque extenuata fuit, ut, quemadmodum Basilius magnus; *tantùm Spiritu vivens. præter ossa, & pellem, nullâ aliâ parte constare videbatur.*

12. Cæterùm, in hac ennarratarum infirmitatum officinâ *tanquam aurum in fornace, & sicut argentum igne examinatum*; quemadmodum animæ vires continuò increvêre ita vicissim decrevêre corporis. Demùm ijsdem penitùs collapsis, Divini corporis epulo refici voluit. Dehinc circumstantes omnes veniam humillimè precata, quòd ijsdem servitia sua pro debito non exhibuerit; ac præsentiâ suâ multis molestiam facessiverit: inter mille benedictiones & laudes, DEO, velut religiosâ tributa oblatas; die Veneris quâ, nempe sponsus ipsius crucem sustinuit & mortem obiit; Maij verò vigesimâ quintâ, pompâ florum illustri, ex florum civitate, beatissima nostra columba, alis à puritatis nitore inargentatis, à charitatis autem flammâ deauratis *subvecta*, ad paradisi felicissimos hortos evolavit.

Sap. 3. *& Psalm. 11. 7.*

13. Iam verò sicut nobilis hæc columba, volatu suo contendit in altum, sic ad sui nos invitat Sequelam. Ponderans Origenes, sœpe memorata verba: *pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri* non solùm dicit & docet, quòd pennarum istarum argentum velùt sonora tuba, citat ad virtutum semitam, & beatæ mercedis pallium; *inpennis sonat argentum*: verùm etiam acumine, Origene, digno, subiungit: quòd columba ista, dum *aurum in dorso portat, sectatores, & æmulatores*

ha-

habere desiderat. Non equidem vos invitat, ad illas prærogativas, supernæ gratiæ dono in eâdem collustrantes; nostris verò viribus, & facultatibus nunquam imitabiles: nec *secutores* vos vult, in habenda, quam ipsa obtinuit, ceu Catharina Senensis, infusâ scientiâ, linguæ latinæ possessione, scripturarumque cùm sacrarum, queis nunquam studuit, tum Sanctorum quoque Patrum intelligentiâ: non *sectatores*, in transigendo plurimos dies, quemadmodum ipsa fecit, Virginem Senensem imitata; non alio cibo, quàm Eucharistico pane refecta: Non *secutores*, in receptione cinguli cuiusdam, lumbis aptandi, prout per Angelorum manus accepit Thomas Aquinas: aut veli cuiusdam, à Magna DEI Matre collati; cuius ope quàm corpus, tam omnia corporis membra, in consumatæ munditiei nitore fuerunt conservata; non *sectatores*, in Penetrandis, velut quidam Philippus Nereus cordium secretis, pervidendis prophetico Spiritu, abstrusis, prædicendisque successibus: non *sectatores*, in sugendo velut ipsa, post S: Bernardum, suxit, è latere, plagisque Crucifixi suavissimæ dulcedinis nectare; non *sectatores*, in consequendo à Parvulo IESU aut pronubum annulum, sollenizandis nuptiis, veluti Catharina, Martyr & Virgo; aut Coronam è spinis, temporibus ornandis, velut S: Rosa: Non *sectatores* in oleo multiplicando, prout factum ab Elia; partim ad templi illuminationem; partim ad sororum sustentationem: Non *sectatores*; in emittendo certum ex vultu splendorem, futuræ Gloriæ vel indicem, vel vadimonium: splendorem talem, quo beatum in fatali concilio fulsisse perhibent Stephanum; verùm sectatores, & aliqualiter etiam æmultatores puritatis in animo, candoris in Spiritu, munditiei in sensibus, complexûs in illis qualitatibus, quæ Magdalenam reddere potuerunt ii argentatam. Ad has vos invitat; & simul ad illum devotionis ardorem, charitatis fervescentiam, & amoris cùm DEI, tum proximi sanctitatem; queîs, velut

lut aureo pallio, coopertum gerebat dorsum, & dotatum sinum. Et quidni, quando fuerint in me; *penna columbæ deargentata & posteriora dorsi eius in pallore auri*: quidni cum eâdem me possim erigere, terræ subtrahere,
Psalm 54. 7. coelo opproquinquare? Quamobrem, *quis dabit mihi pennas sicut columbæ*! Quis tam charo, tamque pretioso me dignum reddit volatûs remigio?. sanè cùm inpetravero quietem in felicissimo DEI amplexu me capturum confido: *& volabo, & requiescam.*

Leo Animosus

PRO FESTO S. PETRI MARTYRIS

TRIBVTVM NONVM.

Leo Fortissimus ad nullius pavebit Occursum. Proverb.: 30. n. 30.

SI Locum istum, ex quo mihi dicendum est hodie, paululum attentiùs considero, facilè inducor, ut eundem mihi veluti scenam imaginer, quæ in ipso Italiæ sinu, aut Lybiæ saltus aut Getuliæ sylvas repræsentet; aut rectiùs, gratiosum quoddam Theatrum, quod, æmulando cum antiquis illis, quibuscum olim Roma superbiit, nobilem quendam oculis vestris, atque maiestosum Leonem exponat: Leonem insignem egregium, ad sui admirationem se toto invitantem. Cæterorum animalium regem, nullo negotio leonem distinxeris. Etenim in flavo dorsi colore, attalicæ texturæ paludamentum; in comarum hirsutie, manibus naturæ connexam coronam; in oculorum luce, micantem ostentat stellarum nictitationem. Ad eiusdem

etiam magnitudinem plurimùm confert solis favor ; cuius influxibus plus cæteris animabilis gaudet : circumferens in dentibus chalybem, in intuitu favillas, in venis ignem, in rugitibus tonitru, in pedibus ventorum fulminumque Velocitatem. Nequè solùm suam, in terra dominantem ostentat magnitudinem ; verùm etiam ipsi firmamento, stellis interstinctus, quandam addit pompam. Quid ; ad ipsum quoquè divinitatis se thronum insinuat : receptus â cœli secretariis & proclamatus etiam, pro expresso typo virtutis supernæ, & potentiæ incircumscriptæ, Et ad hunc ego contuendum Leonem, vel, ut meliùs dicam, sub *ipsius* allegorico symbolo admirandum Petrum Martyrem vos invito, Auscultatores : illum Petrum, qui vera fuit Petra fidei, tuba Evangelij, malleus contumacium, flagellum Hæreticorum, monstrorum Terror, pavor Abyssi infernalis. Illum Petrum, qui perspicax fuit aquila, propter sapientiam ; innocens columba, propter puritatem ; amans pellicanus, propter charitatem erga proximum ; conflagrescens Phœnix in amoris divini flammis ; & deniquè propter heroicam fortitudinem, quacum insolentes Sanctæ fidei, Superavit inimicos, animosus Leo : & talis quidem, de quo verificatur divinum Oraculum : *Leo fortissimus, ad nullius pavebit occursum.* Cúmque dictum fuerit â nonnullo cognosci posse, *ex ungue Leonem.* Etiam vobis, N. ex paucis, quæ dicturus inpræsens sum, invincibilem ipsius, & propè prodigiosam cognoscere licebit, fortitudinem ac magnanimitatem.

2. Animi fortitudo, ut hinc discursui principium demus, velut invicta bellatrix, nunquam sola est ; sed egregiarum Semper virtutum consortio stipata, lateri perpetuo adhærent confidentia, & securitas ; eandem presso pede sequuntur magnanimitas & magnificentia ; sub umbram ipsius tutissimè se recipiunt, patientia & constantia : Porrò velut Amazo bellicosa, quàm intrepida est, ad sustinendum ;

tam

tam animosa ad aggrediendum : cincta circa pectus loricâ patientiæ longanimitatisque gemmis interstinctâ ; tenensque lanceam, immensum, cùm magnificentiæ, tum simul etiam fiduciæ lumen emittentem. Et verò nùm ad invictissimi Herois nostri Gloriam hæc animi concurrerint ornamenta, malim â vobis ipsis discerni, decernique, virtuosissimi Auscultatores. Vix illos ætatis annos attigerat qui primo rationis lumine solent illustrari ; jam circumdari cœpit monstris Tenebrarum. Quondam è scholâ redux, quidnam in eâdem didicisset, interrogatus ; fidei Catholicæ, respondit, symbolum ; idque cum tantâ libertate, & virili audentia, ut posthac ab hoc Apostolico seu sensu, seu assensu, nec Patris & Patrui blanditiis potuerit abduci, nec minis absterreri. Fremebant equidem, velut tartarei leones, in malitiâ inveterati ; verùm adolescentulus noster, *Catulus Leonis Iuda*, tam parùm curavit istarum minarum feritatem, velut si jam inter sydera suam haberet stationem. Nato Veronæ veritas innata fuit ; gerensque Petri nomen, adinstar Petræ alterius interrogatione percussæ, scintillas emittebat illius pietatis, quam intra viscera nutriebat. Quid ? etiam verborum candore, fidele dabat testimonium illi fidei, quam olim proprio subscripturus erat sanguine. Procurabant equidem in Petri pectore characteres incidere hæreticæ pravitatis ; at Petrus veluti viva petra, non admittebat eiusmodi venenati serpentis vestigia : superadditæ fuêre nonnunquam nunc promissionum blanditiæ, nunc minarum terriculamenta ; at Petrus velut laurus triumphalis, suum nunquam perdebat virorem, seu inter caloris æstum, seu inter frigoris rigiditatem : motæ sunt centum, motæ mille machinæ, ut â concepto dimoveretur sensu ; at Petrus, Milonis adinstar Cratoniatæ, quos supra catholicæ veritatis basin semel posuerat, posthac constanter defixerat pedes : pedes nempè suorum affectuum, pedes desideriorum, pedes intellectualium facultatum : natus quidem in

in hæreſi, & ex Hæreticis progenitoribus; at ſimul etiam quàm hæreſi, tam eidem addictis infenſiſſimus inimicus. Vt proin abſimilis non ſit aut lucidæ auroræ, quæ ex caliginoſæ noctis tenebris emergit; aut nobili roſæ, quæ ex pungentium ſpinarum ceſpite progreditur; aut candido, redolentique lilio, quod pro Matre, fœtentem pariter, atquè faſtidioſam herbam agnoſcit. Iactet nunc, prout lubet dicatque prophanus ille:

Nec imbellem feroces
Horat. *progenerant Aquilæ columbam.*

Ego Sanè in parvulo noſtro, & natam contueor ex rapacibus aquilis, innocentem columbam; & effuſam ex cæcutientibus talpis perſpicacem lyncem, & datum in lucem ex monſtris infernalibus candidum Paradyſi Angelum; & educatum in iniquitatis ſcholâ, ſublimem Evangelicæ veritatis, elevatúmque Magiſtrum. Fabulentur gentiles antiquatum ſuum Alcidem, etiamnum in cunis duos ſuffocâſſe ſerpentes, ad ipſum interimendum ſubmiſſos; Petrus profectò, ultra ætatem generoſus, dum hæreticales ſuperat aſſaltus, duos etiam, in Patre nimirum & Patruo devincit moleſtiſſimos Chelidros. Aſſerant eruditi, leonis, culicum aculeis fodicatos, fluminum undis ſe immergere ſicque ab eiuſmodi moleſtiæ importunitate liberare: Petrus ſanè, dum undis ſapientiæ Cœleſtis egregiè ſeſe potat, & â domeſticâ moleſtiâ ſe liberat, & ab hæreſeos iniquitate ſe præſervat. Perhibeant naturæ Myſtæ, Leones, adhucdum in alvo genitricis detentos, ferocire, natalem thalamum turbare, geſtantiſque viſcera lacerare: Petrus profectò ephæbos nondum egreſſus, jam Patri Patruoque reſiſtere perverſa ſuggerentibus, contraniti, diſcurſuum ſuorum efficaciâ confundere, utrumque in rabiem agere, & Sancta quadam arte affligere. Et quis proinde, N. conſideratis eiuſcemodi, trutinatiſque qualitatibus, in hanc ultro non

con-

concedet sententiam, Petri laudibus optimè divinum accomodari oraculum; *Ecce vicit leo de tribu Iuda*?

3 Vicit Petrus hæreticorum assultus in patriâ suâ domo: verùm in civitate, quæ studiorum Mater est novis iisque molestissimis tentationum furiis fuit expositus. Felsina, quæ felicitatis dici poterat sinus, in fellis sentinam commutata; variam Petro blanditiarum propinavit dulcedinem; at in ipsa dulcedine, mortiferi absynthij venenum. Pietatis propugnator â variis impuritatis monstris impugnatur. Contrà pudicissimam turturem, assurgunt obscæni corvi. Catulo Leoni bellum movetur ab infamibus lupis: atquè ubi propter intactum fidei candorem sese Petrus exhibet, quendam Libanum, montem perpetuis nivibus obsitum; in periculo est, ne permutetur in quendam Æthnam, sceleratis libidinum ignibus æstuantem. Externis irritamentis, internus accedebat hostis, membrorum nempe lex, rationis iurata semper & capitalis inimica, Emicans in venis sanguis, cum sanguine calor, cum calore carnis stimulus, incitabant Petrum, & incitabant validè, ut in Veneris pelago sese, liberè volutaret. Vrgebant hinc sensus, illinc mundus, isthinc Amici: sensus suis cum blanditiis; mundus cum illecebris; Amici, cum dissolutissimis exemplis. Attamen frustraneæ fuerunt blanditiæ, irritæ illecebræ, sine viribus exempla. Etenim quemadmodum antehac Petrus Victoriam reportabat â Patre, & sanguine, ita modò reportabat â carne, & semetipso; seu distrahens velut circumspectus leo virgineos oculos â mollitiei lenociniis; seu generosè horrescens impudicitiæ flammas; seu deniquè velut Leo magnanimus, qui solus graditur, terga devertens, cùm populorum frequentiæ, tum sæculi tumultibus. Ac ut huiuscemodi, vel tutè frueretur, vel pluribus adhuc potiretur victoriis, recessui cecinit, atquè in Dominici claustra se recepit: in quibus, quàm hæreses viriliter impugnantur, tam virginitatis flores rivaliter colliguntur.

4. Legi subindè, dari Leones non solùm aurea flavedine velut regio paludamento superbientes, verùm etiam partim albedinis, partim nigredinis colore variegatas pelles circumferentes. Et quidni in eiusmodi vestitis Leonibus Petri nostri admonear, jam S. Dominici habitu induti? Leonis, intus miri candoris; foris ordinariæ nigredinis Paallio circumvestiti: quod quondam posthac proprij sanguinis Purpurâ erat tincturus? Sed paulatim ad majora PETRUM accinctum intueamur. Altaris Templique obsequiis se dicat & dedicat. Et quidni? cum Leones Sanctuariorum Portis, Templorum item ingressibus cernamus consecratos? DEI servitiis totus incumbit, totus occupatur: Proprietate Leone dignâ, ad supremum verumque solem nativâ inclinatione penitùs applicari. Corporis vires, cum longis tædiosisque ieiuniis extenuat: in hoc Leoni similis, qui vicibus seu diebus alternatis nunc fami suam concedit escam; nunc sedatæ rigorosam denuò subiungit inediam. Membra sua frequentibus flagellorum ictibus discruciat; Leonem imitatus robusto vigore semet flagellare solitum. Porrò si continuis instat orationibus, si spiritua-les perpetuò frequentat discursus, utiquè dulcissimos ex labiis suis distillat favos, & illum sese præbet Leonem, qui sapidissimi mellis tenens in faucibus suavitatem, famosum lemma promeruit: *ex forti dulcedo.* Si noctium longitudinem errigit in Sanctis meditationibus, Seraphicis pietatis exercitiis, aliisque devotionis occupationibus, Iterum æmulatur Leonem, qui paucissimum capit somnum, & veluti propriam sibi facit vigilantiæ virtutem. Si demùm extaticis abripitur fervoribus, si taliter abreptus in divinum liquatur beneplacitum; si liquatus isthoc modo resolvitur, seù cadere victima in divinæ voluntatis obsequium; seù præsens incurrere mortis periculum; seu crucis sustinere opprobrium, seu hæreticæ perversitatis contrahere odium, seu fidei defendendæ durissimum suscipere laborem: Leoni rur-

rursùs æquiparandus est, illi nimirum, in insignibus austriacis delineato; qui tenens in unguibus, hinc crucem, illinc hastam militarem, præstò est, ad *utrumque paratus.*

5. Cæterùm, cum de patientia tractetur seu rerum adversarum sustinuentia, quorsùm ego narrare diutiùs differo, quod ab Æliano ceu maximè mirandum recensetur? quid illud? scilicèt Hannonem Chartaginensem illius fuisse ingenij, iudicij illius, ut ferocissimum Leonem cicurare suisque potuerit imperiis obsequentem reddere. Cernere erat, & quidem cum supremo totius mundi stupore, ferarum Regem eatenùs assuefactum ut colla demitteret, abiecta servorum officia subiret, Clitellarem ageret, sarcinas quoquè quocumquè Domino suo lubitum, circumferret. Vt adeò sub regali Leonis animosi maiestate vilissimi cuiusvis animalis triumpharet humilitas; & quem natura sylvarum voluit esse terrorem, Ars populari frequentiæ reddiderit iucundissimum spectaculum. *Hanno Carthaginensis* (Æliani periodus est) *Leonem, quo ad vectiones sarcinarum utebatur, habuit.* Et, quid PETRVS? hactenus sub leonis imagine seu descriptus à nobis, seu repræsentatus? quid in domo Dominici? etiam ipse nobile dorsum inclinat, sarcinas suscipit; susceptas deportat: seu, quod idem dicere est, eiusmodi subit officia & munera, quæ ab exquisita humilitate reperiri potuerunt, aut saltèm persuaderi. *Adeò se humilem & subiectum in Fratrum conventu exhibuit ut ad illorum obsequia plerumquè se etiam senex, facilem & ultroneum offerret.* Vidisses cùm infirmorum tractabatur cura quendam Raphaëlem, ad ipsorum æmolumentum infatigabiliter occupatum: nunc turbata lecta componere, è pavimento everramenta colligere, frigidam opportunè miscere, â frontibus sudorem extergere, verbo, tam corporis quàm animæ saluti obviare: illi cum omni servitiorum promptitudine; huic, cum suavissimorum discursuum; monitionum item

Ælian. l. 5. c. 39.

item, ac consolationum lenitivo. Quando contingebat, ab exteris seu provinciis, seu civitatibus Peregrinos adventare, diversorium circumspicere, hospitium inquirere; Petrus velut sollicitus Abrahamus eiusmodi talibus ultrò solitus erat occurrere, sincerissimis osculis excipere, lavandis pedibus tepidas, ac fragrantes aquas expedire, mensam propriis manibus instruere, cibos deferre, delatos cùm mira colloquiorum dulcedine condire, sapidos reddere, & edulcorare. Quandoquè sic se dante occasione, nec ianitoris refugit munus; verùm cum eâdem animi hilaritate claves assumens, ferro rigidas; cum qua quilibet Aulicus apprehenderet ex auro confectas: pulsantibus respondit, ingredi volentibus portam aperuit, ingressis faciles aures præbuit, sibi commissa, quantocius expediit, porrò pergentibus, se comitem adiunxit, quò petebant, cum omni decore & officiositate deduxit, universim se talemxerhibuit, ut quodamodò dici possit, Petrum Portam suo nomine privosse, & in arcum triumphalem commutâsse.

6. Verùm enim verò, demus veritati locum; fateamur, Leoninam PETRI fortitudinem, non tantùm in sustinendo, quantùm in aggrediendo emicuisse. Vocatus â DEO, ut fidem propugnet, hæresim expugnet, furias exterminet, perditas animas reparet; ad sacræ scripturæ studium se contulit Petrus. Atquè huic dum unicè incumbit, dùm volvit & revolvit, dum oculos legendo atterit, dum diù noctúque secum lecta recoquit; dum mirabili quodam mentis acumine penetrat; dum occultos & maximè reconditos sensus eruit; in illum evasit deniquè, cui D. IOANNIS oraculum ritè accomodaveris: *ecce vicit leo de tribu Iuda radix David, aperire librum & solvere septem signacula eius.* Ex hoc sacro Sancto armamentario queîs in gloriosis suis auribus uteretur, sua, PETRUS deprompsit arma; ex hac aurea Pharetrâ, queîs Pythones configeret, abyssi monstra suis tenebris defigeret, optimè politas

extra-

extraxit sagittas ; ex hac mirabili officinâ, queîs conscientias, mortaliter vulneratas inungeret, foveret, Sanaret, sua desumpsit balsama ; in hac nobili mensa, lautè pastus & impletus, illam virium acquisivit efficaciam, quâ deinceps Apostolicos inchoavit conflictus, concepto secum jam tùm firmissimo proposito, priùs ex hac arena non discedere quàm aut in armorum concertatione plenam obtinuisset victoriam ; aut in obsequio Domini Exercituum gloriosè suam reliquisset vitam.

7. Memoratu dignum est, quod olim Megarensibus accidit. Nam cùm isti leones, quos in septis alebant, emisissent, atquè contrà certos, quos tùm habebant hostes, concitâssent ; successu, quàm cogitabant, penitùs contrario, fuerunt ipsimet â leonibus, quos educabant & nutriebant, comprehensi, attriti, & devorati. Simile quid â nostro leone patratum est. Etenim natus ab hæreticis educatus ab iisdem, & enutritus ; hæreticis primo bellum indixit, & iactando Sanctitatis scintillas ex oculis, & exaltando adinstar horribilis tonitru, sonoram suam vocem, Zelo totus ardens, velut fulmen eosdem aggressus est. Vt vox isthæc intonuit radicibus suis evulsæ cadebant Cedri, lybani ; seu perfida superbiæ monstra, quæ temerariâ petacitate contrâ cælum recalcitrabant : de quâ commodè dici potest : *Vox Domini confringentis cedros.* Insonante hac voce, turbata, commota, concussáque sunt deserta, seu conscientiæ, sentibus delictorum, tribulis, spinísque criminum, quàm maximè depravatæ : *vox Domini concutientis Cervos.* Acclamante hac voce, Peccatores, velut timidi cervi, serpentinum abominando culparum venenum, lachrimarum, quas copiosè fundebant, fonte sese mergebant, vivósque Pœnitentiæ fructus rivalitèr proferebant. *Vox Domini præparantis cervos.*

Pier. l. 1. Fol. 6.

8. Et nunc verò cognosco, verificatum in PETRO, quod naturæ periti de magnanimo produnt leo-

ne ; nempè quòd ipsius voce, reliqui leones à somno, quo iacent oppressi, excitentur, & motui restituantur ; quandoquidem Petri prædicationibus Hæretici ab errorum suorum veterno letargóque revocati, mentis oculos aperuêre, cùm cognoscendæ hæreseos fœditati, tùm suscipiendæ venerandæque veræ fidei claritudini. Verificatum itidem intueor, quòd feroces sylvarum incolæ, feræ, audito leonis rugitu, totæ contremiscant, & subindè velut exanimes cadant : quandoquidem perfida hæresis percepta Petri doctrina & obstupuit, & manus dedit & herbam porrexit. Renovatum Porrò conspicio, S. Sabbæ abbatis prodigium, quo nempè, leo nonnullus, bubulci munus obiens, & Sancti imperiis obediens iumentum ad pascua deduxit & sole abeunte, postquam idem potâsset, ad stabulum denuò reduxit : quando PETRI felici allaboratione peccatores, velut iumenta stolidi, veniebant, ad pascua virtutum, ad aquas puritatis, ad DEI domum, undè aberrabant, & ad veræ salutis hospitium. Video quoquè nunc, quòd in signo leonis constituto sole, Nilus mirabilitèr exundet & ascensas aquas quaquaversum dilatet : quando divino sole in animâ pectorèque Petri fulgurante, ex oculis peccatorum lachrimarum aquæ præcipitant & instar fluminis diluviant. Exhibitum quoquè intueor nunc, quod solis currus, â magnanimis Leonibus, velut fortissimis equis trahatur : quandò claritas veritatis, solis claritatem longè superans cognitioque divini solis, apostolicis PETRI, laboribus undequaquè diffunditur, & eandem ignorantibus instillatur.

9 Diffudit equidem Petrus divini solis lucem ; verùm, quod solidè stupeas, quò longiùs quo fusiùs dilatet ad umbræ benficium recurrit. Contigerat in foro quodam amplissimo, præsente quoquè turbâ quam plurimâ, Petrum ab infami quodam hæresiarchâ provocari, ut si fidem suam assertam vellet, cælum quod tùm serenissimum erat nubibus obduceret. Tremabant ad hanc petitionem fideles

per-

persuasi, hoc idem esse, ac DEI bonitatem velle tentare, ipsiusque providentiam curiosè experiri. Interim infrunitè ridere hæretici, iocari, & illius sententiæ, esse, quòd Petrus eiusmodi petitione futurus esset, & stupefactus, mente confusus, animo perplexus, verecundiâ consternatus. At Petrus armatus vivâ fide, ad cœli præsidium confugit, ac ut idipsum acceleraret sollicitis precibus pulsavit. Et quid? vixdum divinæ majestati petitionem suam exposuerat, tùm illa continuò magnam nubem conflavit ac instar amplissimi tentorij dilatavit: *nubem instar tentorij fecit.* Quæ satis longo temporis spatio durans; *populum omnem suâ umbra protexit.* Et quis ex vobis N. visis huiuscemodi prodigiis non ultrò exclamaverit? O PETRE! prodigiosus planè Leo es! non absimilis illi, ab Ezechiele descripti: qui è stupendæ cuiusdam nubis sinu scintillas emittit; scintillas nempè mirabilium, scintillas portentorum. Vidi ego sœpius, nubes tegendo servire, velandoque soli: at verò nubes insolito quodam prodigio â PETRO condensata est, ut inde solis divini lumen splendidiùs emergeret, aut ardentiùs promicaret. Repressi quidem fuerunt ab istâ nube fervventis planetæ radij; at repressa quoque simul fastuosa hæreseos superbia, summum adusque gradum sufflaminata. Interventu nubis huius aër magnâ parte fuit inumbratus: At Sanctitatis tuæ splendor, O Magne Petre! plus quàm aliàs illuminatus. Restinxit nubes hæc æstivi caloris ardorem, circumstantium Capitibus infestum; at simul in multorum cordibus flammas excitavit Pietatis, & Zelum divini honoris. Formet nunc, quisquis demum velit, fulciendæ victorum Gloriæ, currum triumphalem, auri splendore undequaque radiantem; sanè Petrus supra nubem hanc prodigiosè conformatam instar Eliæ devehetur in cœlum, famâ clarus, victoriâ gloriosus, immortalitate redimitus. C. 1.

 10. Po-

10. Poterat equidem videri, nubem hanc Petro commutandam in Gloriæ Capitalium, at eiusdem inveteratis inmicis propudiosâ metamorphosi desigurata fuit in ardentem, in quâ mortis fulmina cuderent, officinam. Nubes hæc amabile quidem CHristi fidelibus creavit refrigerium; At infrunitis illis, & perfidâ hæresi corruptis, maiorem, quam aliàs, iram, fremitum, & indignationem. Principes tenebrarum, ut umbrarum Semper amici sunt, ita lucis huius circumfusam pulchritudinem supportare non poterant. Quin experti Petrum, sicut prodigiosum in miraculis, ita suis miraculosum in discursibus: dùm serpentem latissimè famam, atque universales omnium acclamationes queîs Petrus ad sydera vehebatur, refrænare nequiebant, eidem vitæ cursum, intercipere contendebant. Hinc decretus, emptus, ordinatus, constitutus assassinatus. Cæce livor, infatuata invidia! quàm malè soles tuas inire rationes. Non cadit cum corpore virtus, neque cum vita, vitæ decora extinguuntur. Superior sepulchrali lapide Sanctitatis excellentia est; tumbarum quandoque hospita, nunquam captiva; nunquam inquilina. Quàm turpitèr cædemini in Petri Sicariâ cæde! quamvis latentèr cusa, tamen Petrum non latuit proditoria conspiratio. Pervidit, præviditque futurorum conscius animus. Hinc ad Sacratissimam Virginem, recurrere, agonem suum eidem suggerere, vires & robur implorare. Quæ deinceps ab eâdem liberaliter promissa sunt, dum eidem condixit: *ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Dehinc invocata quoque D. Pauli Apostoli assistentiâ, pro imminenti certamine. *Sicut leo fortissimus* (Sic de Petro loquuntur historici) *ad nullius pavet occursum.* Ipsa palmarum dominicâ, dum è cathedrâ diceret, etiam de vitæ suæ termino deque palmis Martyrij, quæ se manerent, confidenter disserebat. Quas posthac Sabbatho in Albis consecutus est.

11. Re-

11. Refert Pierius, quandoque sepulchralibus lapidibus insculptos reperiri leones, in sinu, seu intra brachia, effigiatos agnellos velut in amplexu, continentes: eòque denotari, sepultam subtus personam, aguinæ mansuetudini leoninam desponsâsse generositatem. Sanctus quoque IOANNES, postquam scriptis consignaverat librum illum tot mysteriis intricatum, tot sigillis munitum, aperiri debere â fortissimo quodam leone: *Ecce vicit leo de tribu Iudâ, aperire librum & solvere septem signacula eius*: protinus subiungit, ipsum hunc leonem mutatum fuisse in mansuetissimum agnum, & occisum quidem, & sanguinis sui purpurâ tinctum. Apocal. 5. v. 5.

Et vidi agnum stantem, tanquam occisum. Cæterùm hoc ipsum ad Petrum nostrum facillimè transtulerim. Nam hactenùs observatus ut Leo, speciem refert, quasi mutatus in agnum sit; quandoquidem barbara sicarij manu velut innocentissima victima, ipso Paschali tempore trucidatus. Lugubris huius tragœdiæ theatrum, publica via fuit, quâ Como Mediolanum itur. Hâc dum iter agit Petrus, & suum Como Mediolanum repetit â truculento quodam, facie quidem homine, cætera lupo, invaditur, repetitis ictibus impetitur, & velut innocens agnus terræ extenditur. Et quid Petrus, tam duris ictibus exceptus? continuò Leo; præsentem mortem agnoscere; optatam necessitatem amplecti; extremis orationibus insistere; DEUM, ut Spiritum suum benignè recipiat, devotissimè precari; verbo: veluti percussa leonis ossa, Sanctissimorum affectuum scintillas evibrare. De leonis enim ossibus id singulare perhibetur, quòd instar marmoris dura sint, & lapide duro percussa velut chalybs scintillas emittant. Demum cum morte jam jam colluctans, dum residuas adhuc vires colligit, symbolumque fidei, quod infans raro impulsu didicerat, viridique constantiâ confessus semper fuerat, altâ voce recitat; â præfatâ furia fata-

lem mucronem in latere recipit, sicque sanguinis sui è vulnere manantis pretio immortalitatis purpuram comparavit.

12. Cœterum ad te modò me converto Magnanime Petre, & gloriosam, quam de tuis inimicis impetrâsti, victoriam animitùs adgratulor. Vade nunc ad coronam, tuis triumphis debitam. Vade ad Patriam, tam ardentibus votis toties â te suspiratam: Vade, beatorum Spirituum future Concivis: quandoquidem hîc inter nos in habitu victoris tam laboriosas molestias sustinuisti; vade erige, & libra te ad firmamenti sublimitatem: sequentur continuo pupillæ nostræ; & reverà, quod in Nemeæi leonis exuviis fabulosa finxit antiquitas, admirabuntur, stupendos scilicet virtutum cumulos, & vivacissimos Sanctitatis splendores. Vade, sequere vestigia divini agni: quandoquidem cum eodem infidelium odio fuisti circumventus, vilissimo pretio venditus, propter veritatis zelum invasus, extrà civitatem in publico loco transfossus, in ipso Paschali tempore exanimatus, & sacrilego ferro per latus crudelitèr transverberatus. Vade, Heros prodigiose, vade ad cæleste Capitolium, recepturus immarcescibile bravium, non minus ut invictissimus Martyr, quàm ut purissima Virgo, serventissimus Confessor, elevatissimus doctor admirabilis Propheta. Et si deinceps verum sit, quod Plinius memoriæ prodit: quod *leoni clementia in supplices*; Lib. 8, 16. & quod *credit Lybia intellectum pervenire ad eos precum*: siquidem Africæ Leones, qui sibi supplices fiunt, misericordiam exhibent; & eorum qui ad clementiam suam confugiunt, preces exaudiunt: etiam tu melior Paradysi Leo, Petre, benignitatis tuæ pupillas ad nos converte, supplicantis ex intimo corde Populi preces intellige, gemitus audi, offensi Numinis iras mitiga, atque omnibus meritorum tuorum efficaciâ gratiæ beneficos influxus impetra queis â reatuum nostrorum immunditiâ liberemur, in variis misería-

riarum angustiis vigoremur, ac ad beatum ex hac lacrymarum valle transitum suaviter disponamur. At verò vos, Auscultatores, ut leo noster votis vestris condescendat, omnem movete lapidem, ut prærogativas, queîs ipse fulsit devotio vestra obtineat. Asserit Albertus magnus munditiei dotem tam exquisitè inesse leonis exuviis, ut non solùm â vermibus, nunquam arrodantur, verum etiam vestimenta si iisdem involvantur â tinearum teredine præserventur. L. 21. Similis in Leone nostro munditics hactenùs â nobis observata fuit, & ennarrata. Quippe cuius Sanctissimam animam nullum unquàm mortale peccatum arrosit, aut delibavit. Quid ni putemus saltem aliqualiter similem in, & â nobis requiri munditiem, ut liberalem Petri nobis devinciamus beneficentiam? non amare non potest in aliis, quod in se quis rivaliter zelatur. Quamobrem N. de quà disserimus, integritatem, seu, quod idem, virtutem, perfectionem, Sanctitatem fixo Spiritu intueamur eo tamen fine ut dehinc etiam imitemur; dubio procul posthac efficacem Petri assistentiam, solatium ac protectionem, in omnibus occurrentiis consecuturi. Interim si stillo nimis humili, nimis abiecto de tam magnanimo Leone fuit â me sermocinatum ut benignè condonet, vestram offitiose imploro generositatem.

Pyra-

Pyramis Animata.

PRO FESTO S. ERANCISCI BORGIA.

TRIBVTVM DECIMVM.

INter famosiora mundi huius regna, Semper Ægyptus consuevit numerari. Et ægrè admodum admodumque difficulter eiusdem gloriam quis paucis expresserit, paucis delineaverit. Numerus Oppidorum, arciumque, quas sinu suo complectitur omnino magnus, est & ad viginti millia accedens. Formâ suâ triangulari, symbolum exhibet illius, quam supremè suspicimus mysteriosæ Triadis: mutatum in quoddam Sanctuarium, quando velut hospitem excepit divinum infantem, infantilibus membris circumvestitum. Fertilitatis abundantia nomen illi conciliavit, universalis vastissimi mundi granarij. Commoratione verò quam in eâdem traxêre duo Patriarchæ, IACOBVS & IOSEPHVS; & ille quidem per annos septemdecim; hic per octoginta; Academia effecta est; litteraturâ celeberrima; antiquitate, venerandissima. Situ nulla propè regio amœnior. Etenim in aprico camporum vix aliud repræsentat, quàm hortos: quos diviti venâ Nili aquæ ex lunæ

lunæ montibus deciduæ (nisi dicere malis, ex fontibus paradysi profluæ) irrigant, & pinguissima nutrimenta subministrant. Singualiter autem, aut præ aliis pyramidibus superbit; quæ cùm pedum distentione vastam planitierum amplitudinem occupant; tum verticum sublimitate, stellas feriunt; vel tacendo perorantes sumptuosam Regum magnificentiam; & incircumscriptam granditatem. Hanc Ægypti pompam Semper obliquis oculis aspexit antiqua Roma: demum etiam ferre non potuit. Vndè non solùm Octavianus Augustus, duos insignes obeliscos Heliopoli solis urbe, tranferri curavit in Martis civitatem; verùm etiam ipse Tybris, ad Nili invidiam, multos erexit, sumptibus magnificos, maiestate superbos, raritate sua totum mundum in admirationem rapientes. Sed enim cedant posthac & Ægyptus, & Roma gentilitiæ Hispaniarum magnitudini; quippè quæ in suo FRANCISCO Borgia Pyramidem ostentat, non mole spectabilem, sed Spiritu animatam: tantæ excellentiæ, tantæ præstantiæ, ut capitis sublimitatem inferat Empyreo; devictique sæculi triumphali circumdetur gloria. Natales eidem Gandia dedit cum lyrico iure meritò dictura:

Exegi monumentum ære perennius
Regalique situ pyramidum altius.

Cúmque Gregorius Papa XIII. aliàs Borgiam nostrum fidelem vocaverit Ministrum, & firmam Ecclesiæ DEI columnam; illud hodie mihi concedite, ut, quemadmodum Ægyptij Monarchas illos Pyramidibus honorârunt, qui præ reliquis virtutum Gloriâ resplenduerunt; ità & ego Borgiæ meritis pyramidem erigam, cuius sanctitatem digna panegyri prædicare non possum. Quâ demum viâ modóque, prout mihi imaginor, id facilè eveniet; ut quorsum virium imbecillitas pertingere nequit, condignum heroibus symbolum debito encomio correspondeat.

2. Atque facilè quidem foret, pyramidis nostræ vobis N. ostendere fundamenta, velut illa cœlestis Hierusalem: *omni lapide pretioso ornata*: quandoquidem Franciscus ex illa familia natales suos sortitus est, quæ numerum propè innumerabilem Principum, Ducum, Chiliarcharumque mundo dedit: ex illâ familiâ, quæ sæpius in adorata Vaticani Purpura emicuit; ex illâ familiâ, quæ regio Neapolis, Navarræ, Arragonæque sanguini non rarò comixta fuit, coniuncta vel inserta; ex illâ familiâ quæ duos in PETRI solio collocavit summos Pontifices, Callixtum III. & Alexandrum VI; ut proinde dici facilè possit, fasces baculosque regios, simul coagmentatos, infanti nostro præbuisse cunas; vexilla devictis hostibus, ab avis, atavisque gloriosè erepta, comodâsse fascias; Cardinalitias purpuras, primas facilitâsse quietis delitias; sceptra, regum coronis vicissim incatenata, trophæorum adornâsse decores; pupillas demum infantuli nostri priùs Triregnorum splendore, quàm ipsius solis lumine fuisse recreatas. Verùm quoniam ê magnis nasci cæcæ fortunæ favor est; Virtutibus autem magnum fieri, gratiæ divinæ donum: hinc eiusmodi, talia sponte prætereo. Quemadmodum etiam, quòd vivacissimi fuerit ingenij, exquisitæ litteraturæ, dexter in armorum tractatione, & in ipsa quoque Musicæ peritiâ excellens. Prætereo quoque, quòd ex Portugallia transierit ad aulam Hispanicam, Caroli nempè V. Consobrini sui; quòd sapientissimus iste Monarcha, raptus raris nobilitatis dotibus, eidem nobilissimam fœminam in matrimonium dederit; Lombaiæ Marchionem creaverit, maiorem stabuli Præfectum Imperatricis constituerit. Verùm ad symbolicam, quam animo concepi, pyramidem me converto; cùmque Plinius asserat, Pyramides, campis implantatas, cinereâ, seu subalbidâ arenâ constratis: *arena latè pura circum*: cum hac reflexione ad ostendendam æquiparantiam me accingo.

Apocal. 21, 19.

Lib. 36. c. 2.

3. Conti-

3. Contigit tum, ut Imperatrix Isabella mortem obiret; atque FRANCISCUM, seu sors, seu honor tangeret, ut defunctæ cadaver Granatam, ubi Reges Hispaniarum sepeliri solent, solito ritu transportaret. Ventum ut erat ad capellam regiam, viso tum (nam tumba seu loculus aperiri debebat) defunctæ cadavere FRANCISCUS arrigi, stupore suspendi, crinibus rigere & vix non penitùs mente emoveri. Oculi mei, dicebat intra se, quid intuemini? quæ mutatio, quæ metamorphosis est ista? Hæccine illa Isabella Imperatrix, tot regnorum Domina, tot submissionibus adorata, tot officiis exculta, tot servitiis delibuta? Heu me! ubi vultûs, aspectûsque tui maiestas pulchritudinis tuæ rotunda venustas, incomparabilis tuæ frontis serenitas? quàm horrenda solem oculorum premit eclypsis. Quàm turpiter genarum tuarum emarcuerunt rosæ! quàm enormitèr decolorata sunt labiorum corallia! quàm fœtentem in saniem permutatus est reginarum flos? *Haccine est illa Jezabel?* bella Isabella? istene humanarum, Gloriæ, magnitudinis, Excellentiæ, fastûs, pompæque terminus? Anne diei tam lætæ, tam Serenæ, nox succedit adeò mœsta, adeò caliginosa? talitèrne finiunt, talémque transeunt in putorem etiam Personæ præcipuæ, plenis mundi plausibus acalamatæ? FRANCISCE! absit à te, ah! absit, ut huius mundi caducitati tuæ porrò condicas, porrò præstes servitia. Alius qui posthac respiciatur circumspiciendus Dominus est. Et quis? nisi tu, O magne DEUS! qui, sicut ipse corruptionis omnis expers es, ita servitiis tibi exhibitis corruptionis expertem coronam retribuis. Nisi se mutent, nunquam mutas servos tuos, ipsemet immutabilis; immortalis, immortales & cupis & facis. Tibi proinde O magne! me totum dico ac dedico, tui solius ero. Dixerat: & ut fructus Sanctitatis maturè colligeret, CHristianarum Virtutum culturæ continuò se totum applicavit. Cui proposito posthac

validam manum præbuit nobilissimæ consortis mors, & excessus è vitâ. Hoc enim paulò post secuto Franciscus omni truncatâ morâ, ad magni Ignatij vexilla se quantociùs contulit, sacræque militiæ nomen dedit. Et amodò quidem adhæsit Ignatio, lectisque ab eodem sociis, hominibus Sancti fervoris (fortè *carbonis ignis* nominarentur â Psalmistâ) ut inter eosdem commorando, purificaretur ab illis imperfectionibus, quæ in suæ humanitatis metallo poterant reperiri. Adhæsit Ignatio, homini penitus igneo, ut eiusdem frequentatâ conversatione, cor ipsius Sanctioris ardoris calorem conciperet, aut conceptus aliàs, incrementa sumeret. Adhæsit Ignatio, & quid tùm? ubi pyramides collocari solent pro sepulchrorum termino; hîc, quòd admodum mireris, erigitur una in ædificij fronte, quòd â S. Ignatio societati suæ cœperat fabricari.

4. Fortunata societas! quippè quæ adusque Borgiæ ingressum debilis & humilis, post ingressum eiusdem vires assumis, & mirabili cum energiâ ad maiorem potentiam assurgis. Franciscus, velut Sacer Apollo cum sanguinis nobilitate, Sanctitatisque splendore, veluti tot igneis sagittis, malignos illos transfigit Pythones, qui contra te, pestilentiæ suæ venena præsumunt evomere. Ipse cum Authoritatis suæ pondere, stiticas inimicorum tuorum cervices seu premit, seu collidit, & maiori quidem cum efficaciâ, quàm nonnullus Alcides cum suâ clavâ. Magno tuo commodo Pyramis mutatur in arginem, quo nempè repareris, quove sustenteris, ne turbido malevolentiæ torrente rotata, penitùs submergaris. Obmutescent, quos hactenùs debuisti percipere, canum pernitiosi latratus. Ora occludet regij Leonis huius maiestas: quin omnes quotquot hucusque bella tibi movere sunt ausi, solum Francisci nomen velut olim Iudæ Machabæi conficiet, disperget, dissipabit. Favore Francisci, ex lactante, gigantissa evadis; & sicut olim ad IOSEPHI ingressum in domum Putiphari

tiphari supernè, diluvi..verunt gratiæ: *multiplicavit tam in ædibus, quàm in agris omnem eius substantiam* - ita ad ingressum Francisci collegiorum augetur numerus in Gandia, in Alcala, in Murciâ, in Saragoza, in Sevilia, in Valentia, in Validolis, in Româ, & aliis centum partibus: cognosceſque dubio procul, quòd ſicut â magno Ignatio fuiſti fundata, ita â FRANCISCO ſis in immenſum dilatata. Gen. 39. 5.

5. Ingreſſus ſocietatem FRANCISCVS, probatione non indiguit: jam aliàs â propriâ excellentiâ, aliorumque cognitione, ceu calculo, ſufficienter approbatus: ſubiectum, in quo velut in pyramide, virtutes potiſſimæ characteribus hyeroglıphicis erant inciſæ & inſculptæ. Et hîc quidem Leo fortitudinis heroicæ; ibi ſerpens oculatæ prudentiæ; alibi ciconia ſingularis Pietatis; tum canis ſinceræ fidelitatis, gallus indefeſſæ vigilantiæ; turtur caſtiſſimæ pudicitiæ, & Aquila extaticæ contemplationis. Erat in Pyramide noſtra carduelis quoque, ſeu Acanthis. Et ſi hæc commorans in depreſſa ſepi, ſymbolum eſt humilitatis, habitans in nidi cuiuſdam anguſtiis, typus eſt paupertatis; vitam ducens in ſpinis, & carduis, idea mortificatonis: tum FRANCISCVS in omnibus hiſce virtutibus admirabilis fuit, & planè ſingularis

6. Cæterùm huc oculos veſtros advertite, glorioſa Hiſpaniarum regna; intuemini ducem veſtrum; ſi tamen veſtrum; cum totus jam mutatus ſit in alterum. Solitus antehac ſericis incedere veſtibus, conſutis modò amicitur centonibus; frequens in palatiis, & multis ſervorum frequentatus officiis, nunc ipſe ſervit in hoſpitalibus; diſpertiens ad Tubæ ſonitum imperia exercitibus, nunc parvo tintinabulo ad Chriſtianam doctrinam ſignum dat miſerabilibus; aſſuetus libros ſignare ſupplices, ſubſcribere privilegia, impertiri favores, panes diſtribuit pauperibus in fruſta diſſecatos; qui regiis delitiabatur conviviis, lavan-

dis occupatur vilissimis culinæ vasibus. Speciatim verò te compello generosa ordini equestri adscripta nobilitas, ac ad spectaculum tuis oculis dignum invito. Intuêre, si dicere sic licet, equum, non ordinariis Spiritibus nobilem; cum filo tamen serico, quin & lineo se regi patientem. Intuemini, Naucleri, sumptuosam, ac omninò divitem navem, â parvulo pisciculo remorâ, in medio felicitatis cursu firmatam. Intuemini, & vos, O Academici, regium quendam Leonem, vili funiculo se duci sinentem: *didicit parere minori.* O quam benè fundata nostra pyramis est! habens fundamentum suum in ipso humilitatis fundo Si Pyramidum altitudinem proiecta mensurat umbra: *ex umbra magnitudo:* quanta sit cæterarum in Francisco virtutum eminentia, pronum colligere est, ex ipsius humilitatis singularitate. Facesse, hinc nobilitatis ac sanguinis individua comes, ambitio. Dignitatem offers, honores, sacram purpuram? frustra. Animus FRANCISCI capax non est. An non vides sacram purpuram septies oblatam, septies â FRANCISCO reiectam; Erraverímne, si dixero FRANCISCVM Tauri illius, pro gentilitiis armis electi, genium, ipsamque suis in visceribus circumtulisse indolem, nihil magìs quàm coccinei panni, conspectum aversantem?

7. Et huic quidem humilitati tam profundæ, sociam adiunxit extremam Paupertatem. Nempe cuius portabat nomen, etiam operum zelatus est imitationem; cum deposito Ducatu omnem quoque ponens possidendi affectum. Postquam copiosis, queîs abundabat, divitiis nuntium misit, amplius posthac obulum ullum non attigit, licèt plurimis adhuc annis supervixerit, & multa, longaque sæpius itinera fecerit. Tunicam, calceos, cæterasque vestes, usu continuo attritas, aut dissutas, propriis manibus refecit, & resarcivit. In itineribus constituto seu longis, seu valdè laboriosis, tota supellex, seu totus appara-

ra-

ratus, quo à solis æstu, ventorum furore, cadentium pluviarum madore defendebatur, pileus fuit, seu galerus vetustus; & mantellum, strictum admodum, ægrè latera tegens, & multis plicis corrugatum. Prostratas vires panis frustillis restaurabat pro Elemosynâ datis; denique etiam libellus, cui pias inscribere solebat affectiones, animique Spirituales motus aut inspirationes; compactus erat & coagmentatus, ex eiusmodi chartis, quas ex litteris ad se datis deciderat; ut adeò veluti Pyramis inscripta: *deficiendo subtilior*: quantò magìs sublimabatur in perfectione, tantò magìs restringebatur in paupertate.

8. Et verò, quid porrò dicam, de austeritatis rigore, qui cum ipsorum Pauli, Hilarionis, Arsenij, decertare poterat severitate? Narrat Olaus magnus, dari montes quosdam in partibus septemtrionalibus, colore cineres, duritie verò adamantes æmulantes. Et si quandoque contingat, hos aut terræ motûs violentiâ concuti, aut fulminum telis feriri, aut quovis demum modo, in frusta lacerari: quantùm perdunt de mole, tantùm aquirunt de figurâ: & quandoque columnarum, subinde obeliscorum, nonnumquam etiam nobilissimarum pyramidum formam induunt, non aliud artificium experti, sed solâ fulgurum limâ elaborati: *partim formam pyramidis* (verba sunt Olai) *partim quadratarum columnarum & obeliscorum quasi naturæ opificio forentes fabricata, suscipiunt.* Lib. 2. c. 16.

9. Iam quorsum ista memoro vobis, nisi ut ostendam, Franciscum ex monte quodam prophano in Sanctam pyramidem fuisse commutatum. Mons erat Franciscus, propter natalium sublimitatem; mons propter dignitatis excellentiam; mons propter ingentem virtutum accumulationem; Mons consternatus & concussus, ab inimaginabili venustatis metamorphosi; mortis seu vi, seu potentiâ, futurorum metu; quin Sancto potius DEI timore; tusúsque deinceps cùm asperrimarum mortificationum

cùm

tùm rigidissimæ pœnitentiæ ictibus, montis exuit, & columnæ figuram induit Pyamidalis, Apostolici Zeli, Evangelicæ perfectionis, & exquisitæ Sanctitatis. Et de quo, seu quibus rebus disseremus posthac? de abstinentiis? quidni? quippè quæ tanto cum rigore fuerunt ab ipso celebratæ, ut intra unius anni decursum totus corporis habitus, pinguedine satis distentus, emarcuerit, adeoque fuerit extenuatus ut pellem, quæ pectus, ventremque continebat, veluti fasciam complicare, cum eâdemque corporis propè medietatem potuerit involvere. De Ciliciis? omninò. Quippè â quibus ceu totidem limis, durissimè fuit arrosus, & consumatus. De disciplinis? & meritò, quippè quæ tam asperæ fuerunt, tam inclementes, tamque rigidæ; ut ad ætatem usquè provectam octingentos qualibet vice dorso dederit ictus, sanguinémque tam largitèr fuderit, ut â S. Ignatio cohiberi debuerit, moneríque, liberalius lachrimas spargeret quàm sanguinem: ne contingeret iumentum occidi, supra quòd salvatori complaceret considere. Nec pauciores fuerunt, aut minores, quos ipsummet Cœlum Francisco inflixit, ictus. Testium loco possunt esse, dentium acutissimi dolores, â putredine profecti; ipsum etiam os exulceratum, â longis orationibus, ore in terram porrecto, peractis: Podagræ deinde tormenta, cordis palpitatio; Cardialgia; aliæque sexcentæ infirmitates, â Medicis nunquam cognitæ, â FRANCISCO autem cum omni intrepiditate toleratæ. Et in hoc quidem crucibulo, Franciscus instar auri, quavis die maiorem acquisivit purificationem; â tantis limis arrosus, excellentiorem nactus est subtilitatem; â tantis ictibus in excelsam dedolatus est pyramidem.

10. Et quidni dicerem pyramidem? quandoquidem obtentâ â Sede Apostolicâ etiam inter vitæ suæ religiosæ exercitia, flatus suos, per quatuor annos, regendi facultate, velut pyramis animata, hinc cum politico regimi-

mine sese dilatabat super terram ; inde cum abstractâ Spiritûs elevatione penetrabat Empyreum. Continuò passibus æqualibus frequentanbatur , & ea , quæ cœlestem sapiebant Patriam , & rursus , quæ terrenum concernebant decorem. Si pro Pauperum subsidio , magnificum erigit in Gandia Nosocomium ; & linguæ devotione , & manuum operâ sibimet ipsi fabricat *Domum non deficientem in Cælis.* Si præfatam vrbem & novis incingit propugnaculis , & sufficientibus munit tormentis : semetipsum cooperit , & loricâ iustitiæ , & præpotentibus lucis armis. Si primo-genito suo ducalem renuntiat coronam , ipse demississimè supplicans , suspirat *regnum decoris , & diadema speciei de manu Domini.* Si quatuor aliis filiis honorificam elaborat sustentationem ; ipse pupillas suas in immortalitatis defigit stolam. Si filiabus suis nobilissimas procudit nuptias , ipse propriam animam & quibusvis virtutibus dotat, dotatam autem ad beatos DEI promovet thalamos. Vt adeò , quòd quivis meritò miretur , FRANCISCI domus nullatenùs discerneretur â Domo Lazari : cum in utraque duæ vitæ vicariam sibi porrexerint manum , activa nimirum & contemplativa : alternatique perpetuò fuerint & Marthæ officiosi labores , & Magdalenæ nectareæ mentis dulcedines. Et quis in Francisco non suspexerit , aut solem, qui, citra quòd â cœlo se separet , radiis suis in terra mirabilia peragit ? aut Angelum Raphaëlem , qui , absque quòd â DEI conspectu se elonget, hominum necessitatibus providet ; aut extaticam IACOBI visionem ? quandoquidem Franciscus velut alter Angelus , de bono procedens in melius , ad supremum ascendebat perfectionis apicem ; & rursus descendebat; ut, quòd boni regiminis suggerebant regulæ, deduceret in effectum. Sap. 5. 17.

II. Et cum hac mirabili vivendi normâ per quatuor annorum decursum suum olim rexit ducatum ; per aliorum autem septem in officio generalatûs ipsam societatem.

 tem.

tem. Vni DEI Gloriæ continuò intentus, singulares vicissim favores ab eodem consecutus est. Sub Francisci regimine sexaginta heroum manipulus ad cœlum translatus est: qui videlicet ut fidei Christianæ sementem dispergerent, ab eodem missi erant, & in hoc Apostolico labore obedientiæ pariter & Martyrij palmas collegerant: alius itidem numero triginta novem quos Franciscus in Brasiliam missos, Oceanus sui sanguinis purpurâ consecravit. Sub ipsius regimine, societati accessit Heros, meritis magnus, magnus & Gloria, Stanislaus Costa: qui vitæ Sanctitate purissimum videbatur lilium; nunc ex æternis tentoriis splendidissimam vibrat Gloriæ claritatem. Sub ipsius regimine, societas immensa sumpsit incrementa; illata in Poloniam, in Insulas Maderæ; Terzeræ; in Floridam, novam Hispaniam, regnum Peruvianum, & perventa demum in extremum occidentum, semetipsam ibi reperiens quem cœperat, mundi finiit circulum. Vnde quemadmodum Obelisco, quem Octavianus in campo Martio & illi, quem Caligula posuerat in Vaticano, aureus impositus fuit globus; ita mysticæ nostri Borgiæ pyramidi congruè potest imponi mundi globus: utpotè quem duabus, extremis missionibus & intimis charitatis visceribus in uno puncto & ambiit, & illustravit. Atque quoniam ad missiones devolutus sum, liceat mihi deinceps plura subiungere.

Albertin. f. 67.

11. Semel duntaxat in sacris litteris pyramidum factam mentionem reperio. *Statuit Pyramides septem*: nempè Simon Machabœus, fidelis militiæ princeps: in quarum vicinia naves erant effigiatæ *& naves sculptas.* Quo mysterio fuerint factæ, vel allegatæ, sacri scrutentur interpretes. illud mihi compertum, ex herois nostri sinu, quem Sanctitatis Pyramidem hactenùs ostendi, velut è regio portu, solvisse naves auxiliares, ab ipso missas, in provincias miserè destitutas, angustiis pressas, deiectas & de-

Prov. 31. 14.

fe-

solatas. Ite (dubio procul hortabatur Franciscus) ite meæ naves, charissimi socij, ite, & *quasi naves institoris de longè portantes panem*, alimenta divini verbi, deferte gentilibus illis, qui maximè ieiuni sunt & eundem admodum esuriunt. Ite, O meæ naves; & secundo Danubio navigantes, Austriæ duplex inferte lumen; cùm vestræ pietatis, tùm etiam divitiarum, â Ioannâ Regina subministratarum. Ite hinc ad Insulas Canarias, & incolas earum qui sub hominum formâ canum fomentant viscera, suâ spoliate, quem nativitas indidit, barbarie; crassâque veri Numinis ignorantiâ. Hinc in Affricam vertite vela, & Hispaniarum exercitui, cum monstris herculeâ fortitudine confligenti, vos iungite, atque quàm corporibus animos; tàm animis vires instillate. Posthac ad Iapones vos conferte, Chinensesque, Christianum ibi custodituri gregem, stigiisque lupis obicem posituri. Demum ad Occidentis quoque vadite regna, ut iisdem novi solis adferatis ortum. Vestro imperate Zelo, implantate quâ solâ salus obtineri potest, fidem; implantatam madoribus, è vestris frontibus stillantibus rigate, quàm rigâstis, vestro deinceps sanguine, è recisis venis profluente ad gloriosum incrementum, deducite.

13. Et hisce quidem modis, dum quaquaversum operarios mittit, etiam ipse quoque tametsi prostratâ sanitate, fractisque viribus, â DEO quàm ad magna leligitur, tàm plena molestiis itinera. Artis non minus fuit, quàm humani prodigium ingenij, videre Pyramides (Octaviani nempè tempore) machinas stupendæ longitudinis excessivique ponderis movere se, peregrinatum ire, perque remotissima regna viam facere. Ex Ægypto primùm conductæ fuerunt ad Nilum, secundæ dein hoc flumine defluentes, Mediterraneum ingressæ hinc ad Africæ translatæ sunt littora; & demum in Italiam; ubi adverso Tyberi ascendentes se stiterunt in Roma. Urbium Urbe, majestate sua

ſuâ factum eiuſdem adauctura. Cæterùm hæc prodigiorum admiranda in Franciſci Perſona renovata fuiſſe, ſeu ſimilitudine quadam expreſſa, facilè quis dixerit. Etenim Pius V. miſſo ad Coronas Hiſpaniæ Galliæque Cardinali Alexandrino cum poteſtate legati â latere, contra Otomannum, ligam ſeu fœderatam armorum unionem ſollicitaturo, velut conſiliarium ac ſocium addidit Borgiam; eo fine nimirum, ut ſuâ & nobilitate, & prudentiâ, & Sanctitate, & reſpectum adderet huic legationi, & optatum effectum elaboraret. Ac etſi tum Franciſcus adverſâ frueretur valetudine, ſuæ tamen vitæ publicum bonum prætulit. Viderat ſe, cognoſcebatque ruinoſam quandam navem, pelagi tamen vaſtitatem ſulcare, generoſè præſumpſit. Solvens itaque hæc pyramis animata, ex littoribus Romanis, ſuperato Mediterraneo, Cataloniam pervenit: ubi inter applauſus, lætas acclamationes, gaudiaque populi, qui ex viciniis provinciis, ipſum honoraturi acervatim confluxerant, ad regiam aulam acceſſit. Expeditis hîc negotiis, Portugalliam ſe contulit, receptus ubique velut Angelus, è cœlo delapſus. Indè vertens in Franciam, & eo quidem ipſo tempore, quo florentiſſimum hoc regnum ab hæreſum monſtris ſupra modum erat afflictum, concuſſum, attritum, & laceratum; cùm vidiſſet religionem depreſſam, pietatem exturbatam, proſtratas Eccleſias, demolita Altaria; dici non poteſt, quàm animus ipſius, DEI honoris Zelo ſupra modum ardeſcens, excruciatus fuerit, & dolorum vehementiâ diſſecatus; Accedente dein, cùm aëris intemperie, tum frigoris aſperitate, animi morbus, in miſellum corpuſculum, migravit, ab inſolitâ quâdam debilitate derepente invaſum. Atque dato hîc ſuis negotiis termino, rurſus Italiam petiit. Cùmque videret, Turinij, ubi pertranſiit, finem honorum, qui ſibi exhibebantur, nullum eſſe; tum Ferroriæ â Principibus illis, ſibi ſanguine junctis, in affectûs teneritudine modum excedi, præcipitatâ

cele-

celeritate Lauretum concessit, propitiaturus ibi maris stellam, rogoturusque, dignaretur ad Portum se conducere: tum hanc quoque gratiam, elargiri, quatenus Romæ, quò, relicto Laureto festinè perrexerat, cùm suâ peregrinationis, vitæ quoque terminum reperiret, & ad Pedes magni sui Patris Ignatij, tumbam sepulchralem obtineret. Vrbi restitutus, millies DEUM benedicere millenasque gratias eidem referre; quòd sibi concessisset, vitæ cursum in humilitate transigere, & in obedientia terminare. Clausis deinde suæ cellulæ portis, ne posthac ampliùs visitari posset, seu â curiæ Prælatis, seu Purpuratis Patribus cum animâ penitus â mundi quisquiliis seiuncta, duos illos dies, quos adhuc supervixerat, in dulcibus cum suo Creatore colloquiis consumens, demum primâ Octobris, paulò ante auroram, Pyramis hæc animata exanimata, stationeque suâ deiecta; seu (ut expressiùs loquar) in cœli Templum translata est, ut deinceps ibidem eiusdem maiestatem augeret, ceu relucens columna in perpetuas æternitates splendesceret.

14. Referunt Hystorici, majores illas Ægypti Pyramides, seu quæ reliquas magnitudine excedunt, ex omnibus Partibus gradus habere, tam magnos, tamque ordinate dispositos, ut ad apicem usque ascendi possit, quamvis non absque labore aut omni difficultate. Legere quoque est apud Petrum vallensem, ascensûs huius incommodum, in se quondam suscepisse nobilem quendam Romanum; qui posthac retulit, in supremo vertice se constitutum, admodum recreatum fuisse, pulcherrimo rerum intuitu, hinc maris, oculos extensione suâ non penitùs fugientis; illinc fabricarum sumptuosè superbientium, ibi viretorum nobilem luxum, ex vicinis regionibus ostentantium. Et quorsum, isthæc in præsens ego refero, N? nisi, ut cum FRANCISCVS mystica probata sit pyramis, in pyramide monstrentur & gradus. Et quinam illi? *Petr de la Valle to. 1.*

nimi-

nimirum numerosæ, quibus inclaruit, virtutes. Hæ sanè facillimè servierint pro scala, & scalæ gradibus, quibus quis aut Sanctè, sollicitus aut sollicitè laboriosus in altum sese sublevet, ipsumque cœlum conscendat. Quidni igitur hanc aggredimur scalam? quidni cum affectuum nostrorum pedibus, hos premimus gradus? quidni tanti Herois calcamus vestigia? imitando scilicet eiusdem paupertatem, fastûs mundani contemptum, sensuum mortificationem, Spiritûs fervorem, honoris DEI, proximique salutis Zelum. Tum enim adipisci licebit, Beatas Paradysi delitias, tùm intueri vastum mare divinarum prærogativarum; tùm frui pulcherrimo non Cairi, sed Cœli prospectu; tùm participem fieri summi, infinitique boni; idque seu sentire videtur, seu prorsùs promittere Psalmista, quando de Christi fidelibus ita discurrit: *ibunt de virtute in virtutem, videbitur DEUS Deorum in Syon.*

Psal. 83.



Aqui-

Aquila Iberica.

PRO FESTO S. THOMÆ de VILLA NOVA.

TRIBVTVM VNDECIMVM.

PRincipis Majeſtatem magìs reſpici, ſpectarique magìs, â Virtutum gemmis, quas in ſinu recondit; quàm â lapidum raritate, queîs diadema coruſcat, facilè in confeſſo erit. An autem maius accipiat ornamentum, â candidis benignitatis margaritis, aut ab igneis Iuſtitiæ Topazidis, tam promptè non dixerim. Acclamatur equidem Sereniſſimi titulo. Quaſi cum cœli felicitate, decertans, ſubditorum bono benignos lætè latèque diffundat, atque ſuaviſſimos influxus. Attamem oſtentando ſimul potentiæ ſuæ vigorem, pariter oſtendit, â ſe caſtigari quoque poſſe culpabiles, & ſeverè puniri criminibus obnoxios. Patriæ non minus appellatur Pater; nimirum ut cum providâ manu populi ſui præſtò ſit indigentiæ; eoſdemque velut dilectiſſimos Filios ambiat, protegat, & defendat. At non minus re, quàm nomine Dominus, formidabilem quoque facit ſuam authoritatem, quam in ſervos habet, abſolutam, & illimitatam. Et ſi clementia pro propria princi-

pis

pis habetur dote, tum eriam iuſtitia pro Principis verâ recognoſcitur notâ. Hinc facilè concludere eſt; bonum Principem, divino ſponſo ſe præbere debere ſimilem, nempe *candidum & rubicundum*: candidum, benignitate; rubicundum ultione: Præterea Salomonis adinſtar, in paludamento floribus acu phrygiâ depicto, lætiſſimam ingerere ſpem, in leonibus â latere erectis, efficacem, iuſtum tamen legum ſpirare metum: inſtar arcæ animatæ, & mannam recipere Paternæ miſericordiæ; & virgam rigoroſæ ſeveritatis. Paucis: pro ſymbolo ſuo principem aſſumere opportet imaginem Aquilæ, tenentis in unguibus, hinc pingues olivæ, ramos; illinc bullientes Triſulci, flammas: quo paſſim inſinuet, ſuo Tempore & exhibere ſe velle, quàm in diſcolos Terrorem, tam in morigeros benignitatem: *in opportunitate utrumque*, velut â quodam dictum.

2. THOMAS de villa nova, Valentiæ Archiepiſcopus, & clariſſimus S. Eccleſiæ princeps, eiuſmodi fuit ornatus, præditusque dotibus, ut in earundem conſideratione exquiſita quævis, & perplexa, hæreat, & ſuſpenſa ſtupeat eloquentia. Virgineæ puritatis liliis, roſas maritavit charitatis tam excellentis ut ipſis non admodum ægrè æquiparari potuerit Seraphinis. Centum facilè virtutum floribus, in eiuſdem ſinu germinantibus animum adiunxit leoninum, ultra modum magnanimum, & generoſum: & , ceu quædam divinitatis arca foret; quàm indulcificandis aliorum amaritudinibus totus apparuit Manna; tàm in conducendis ad veræ ſalutis paſcua deviantibus gregibus perfectæ rectitudinis mirabilis extitit virga. Verum enim verò, quoniam veri Principis Ideam, Aquila ſecum fert, THOMAM vobis velut Aquilam exhibeo; tenentem hinc olivam charitatis, ad miſerorum ſublevamen; inde fulmen Apoſtolici Zeli; ad quorumvis proximorum emolumentum, adminiſtrantem *in opportunitate utrumque*. Agite

mo-

modò, colendissimi Ausculatores, venite, mecùmque vos conferte, sub istarum olivarum umbram, quatenus suavem sub iisdem capiatis requiem; ac dein etiam ad fulminum istorum coruscationem, quatenus mirabilem eorundem percipiatis claritatem. Interim ad argumenti deductionem ego progredior.

3. Inter prima, magisque singularia; queîs Princeps spectabilem se facit, ornamenta, opera beneficentiæ sunt. Pietas erga subditos, præsertim si miseriis opprimuntur, Patrem designat; nec ordinarium, sed, præcipuo tenerrimi affectûs charactere insignitum. Et si præterea malis occurrat eademque patienter tolleret; quatenus sub adversitatum iugo gementes succollet. Et magnam sibi famam conciliat, & Gloriam acquirit. Hinc una ex parte, gentium Doctor luminis charitati, quibus DEI resplenduit filius, opera iunxit misericordiæ, cum miseris & oppressis frequentari solitæ: *cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius portans omnia verbo virtutis suæ.* Quibus verbis ipsum satìs demonstrat, & admodum mirabilem, & admodum sublimem: quandoquidem velut Chrisostomus glossatur; *cadentia, & ad nihilum tendentia continet.* Ex alterâ verò parte Seneca, quasi protestando dissezit:

Hoc reges habent Med. All. 2.
Magnificum, & ingens, nulla quòd rapiet dies.
Prodesse miseris, supplices, fido lare protegere.

Quocirca, N. ut THOMÆ nostri, Principis Ecclesiæ gloriosissimi, seu gloriam describam, seu magnitudinem decircinem, non ad arma recurram, victoriis celebria, queîs Hispannia Thomæ Patria, communitèr deprædicatur: nec ad auri splendorem, ex Tagi, Pactolique, flavis arenis redundantem; sed ad olivas, Pietatis nempè, queis Thomas excelluit; & ad applausus, queîs Romanum consistorium resonuit. Hæc auribus vestris acclamabo

Charitatis triumphum loquor. Et illam quidem charitatem intelligo, quam infans etiamnum â Materno secum traxit utero, & pro inseparabili elegit socio; illam charitatem quæ ab illo usque tempore, quo pedes erant innodati, fasciisque constricti, teneras manus servavit liberas, & ad quosvis Pietatis actus expeditas: illam charitatem, quæ extremam ipsius pueritiam seu persuasit, seu compulit, ad distribuenda Pauperibus alimenta, quæ secum in Parva penula portaverat ad scholam pro propria sustentatione. Habuit Thomas natales suos in loco, cui fons planus nomen præbet. Et rectè. Quandoquidem Thomas fontem æmulatur indeficientem, & continuas emanat aquas, ad indigentium succursum, & laborantium refrigerium; Thomæ nomen sortitus est; & genuinè. Siquidem Thomas abyssum significat. Et Thomas abyssum vel invocavit, vel reparavit cum abysso: scilicet Abyssum miseriarum cum abysso misericordiarum. Natus ab illis Genitoribus est, qui nec portam unquam clauserunt mendicis, minus manus: & ô quàm nullatenus ab iisdem degeneravit Thomas, quandoquidem tanto cum Zelo misericordiæ frequentavit opera; ut digna fuerint in mundi huius Gloriæ produci theatra.

4. Memoratu, relatúque digna est Aquila, ab extatico Ezechiele descripta. *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & transportavit eam in terram Chanaam.* Et quid? Fallor? an in hac Aquilæ descriptione Thomam deprehendo, vel quoddam vitæ, quam Thomas duxit, compendium? erat sanè Thomas *Aquila grandis* propter Heroicam animi magnitudinem; *Magnarum alarum*, propter succurrendi miseris promptitudinem: *plena plumis & varietate*, propter varias artes, ingeniosósque modos, queîs aliorum mitigabat necessitates: vacuando non semel domûs suæ granarium; dispensando, quodquod erat

Ezech. 17. 3.

fru-

frumentum ; & alia quævis in Famelicorum accomodando sustentationem. Dum Pauperum agebat advocatum , eâ perorabat efficaciâ , ut non aliàs , nisi partâ cederet victoriâ : dum infirmorum dispensatorem , optimos domi suæ cibos coqui præceperat , coctos dein ipsemet ad Nosocomia deportabat : dum infelicium provisorem ; cùm capitis ornamentis , tum corporis quoque velut galero , pallio tunicâ , caligis se spoliavit , cum iisdemque nuditatem , aliorum ac indigentiam cooperuit. *Thorace , caligis , pileo , & pallio exutus domum crebrò repetebat , quibus nudos operuerat.* Quo quidem modo mirabilis Puer , domum Paternam nudato capite repetendo , dilucidè demonstrabat , sacri ministri adinstar Pietatis sacrificiis se penitùs intentum , addictum , & applicatum. Dono dederat Pauperibus tunicas ; quoniam ardente quodam in sinu , sacro fervore , opus non habebat , â lanea vestium textura fomentum emendicari. Caligis privatus domum veniebat ; quatenùs sub humana figura quidam absconditus agnosceretur Angelus qui nudis semper pedibus depingi solet , & repræsentari. Pallij quoque iacturam ultrò fecit ; quasi jam tum velut redivivus Elias , impedimenta voluerit abiicere , atque ad conscendendum , quo deinceps ad Paradysum triumphans elevaretur , igneum charitatis currum se præparare. Dixi parùm Auscultatores : etiam in ætate crescente , cibationisque magìs necessaria , alimenta sua sibi subtraxit , atque pauperibus distribuit. Ac proin ne ventres mendicorum torquerentur fame , suum proprium rigidâ cruciabat inediâ. Vt alios pasceret , quandoque jam ingestos ori cibos denuò extraxit ; ac ne Pauper languesceret inter infelicitatis violentiam , impensis rigidæ suæ , laboriosæque abstinentiæ ipsemet instruxit mensam : cuius meritæ gloriæ meritò repeti potest applicarique elogium â S. P. Hieronymo in honorem Exuperij conceptum , & formatum : *Esuriens pascit alios & ore pallente ieiuniis fame torquetur alienâ.* *Ep. ad Rustic. 104.*

5. Legi subinde, Aquilam, veluti Spiritu generosam, ad collectum à se pastum alias quoque volucres admittere, tametsi peregrinas, & specie differentes: hinc â quodam introducta fuit dicere: *Quod mihi hoc aliis.* Pariter & Thomas, quidquid seu ciborum seu vestium etiam â DEO receperat, Christi pauperibus commune fecit.

Pier. l. 19. de benignis.

6. Aquila illa, quam ossifragam nominant, ultra modum benigna est, ac propterea Principis hieroglyphicum, in summo gradu misericordis. Siquidem eiectos ab aliis è nido pullos, ipsa colligit, in nidum suum deportat, idemque cum affectu plusqum materno pascit, educat, defendit, protegit, ac in omnibus, & de omnibus providet. Similiter & Thomas, quoslibet infelices, seu quomodolibet deiectos aut derelictos suscipere cum omni affectu amplecti, necessariis providere, tamque egregiè fovere, seu confortare; ut iure dicere potuerint *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

Psal. 26. 10.

7. Sœpius utique perceptum â vobis fuerit, quód Aquila, dum prolem suam aliorsum transportat, non unguibus apprehendat, ne forsan hoc modo venatorum insidiis exponat: sed supra dorsum suum deferat, animatum quoddam ex proprio sinu formando scutum, parataque sagittarum ictus in se recipere, dummodo filiis suis possit incolumitatem conservare. Et Thomas noster, nonne & ipse pectus suum exposuit telis pungentissimæ famis dummodo Christi pauperes â se tam unicè dilecti, ab eiusmodi ictibus liberi redderentur, & immunes?

Paus. Can deut fol. 432. 2 A.

8. Referunt severiores naturæ Mystæ, quòd Aquila, dum pullos suos, ieiunio videt extenuari, & ad extrema deduci mota commiseratione, rostro pectus pertundat; venas aperiat, profluentem hinc largiter sanguinem languentibus instillet. Sicque mortis necessitatem ab iisdem amoveat. Magna sanè propensio, magnus affectus, magna

Pineda. in Job c. 19. v. 30.

magna dilectio, majori tamen adhuc, & longè teneriori præditus fuit, commiseratione Thomas noster: quippe qui se penitùs eviscerat, non quidem pro suis filiis, verùm pro extraneis, pro peregrinis, pro totaliter incognitis: queis ut subsidium præstet, ipse dies integros abstinet, languet, pallescit, inediâ conficitur: *prorsus à cibo sibi temperabat.*

9. Et quidni modò subscriberem, naturæ serutatorum opinioni, quòd Aquila, quò plus se ieiuniis extenuat, eò illustriorem pennis suis candorem conciliet: loquente lemmate: *ab inediâ albascit*: quandoquidem THOMAM intueor, aut animam THOMÆ inter spontaneas, easque rigorosas admodum inedias, ad tantum candorem promotam, ut eandem dicere facilè liceat latentem sub humana specie purissimum Paradysi Spiritum.

10. Spiritum? & quidni? quando se talem continuò Thomas exhibuit, quasi, queis reficeretur humanis alimentis opus non haberet: quando quondam, ut â paupere quodam debitore, loco frumenti paleæ deferrentur, in suum granarium, indulgentissimè concessit; paleas accepit pro tritico; triticum autem istud, quod domus suæ non oneravit peristylium, translatum fuit ad æternum Paradysi granarium. Paleas accepit pro tritico; & inter ipsarum flavedinem, aurea meritorum suorum grana, ad singularem reduxit perfectionem. Paleas accepit: & dum videri poterat Thomam vili cuidam æquiparasse se iumento; è domo sua sacrum quoddam effecit præsæpe, quod â salvatore nostro consecrari haberet, aut eiusdem efficacissimâ gratiâ. Atquè adeò nunc, quod utique singulariter admirandum, paleas intueor, non amplius applicatas fumosis Ægypti fornacibus; sed dedicatas, ad innocentes nutriendum flammas, manifestandumque plus, quàm aliâs, queis excelluit charitativus seraphinus noster, amoris, ac beneficentiæ inventiones. Verùm tuo commodo, tuo

bono, tua prosperitate paleas accepisti, ô Thoma! in tuum granarium: etenim suo quondam tempore, cùm penuria latè dominabitur, aridæ hæ paleæ adhucdum germinabunt, infinitam frumenti copiam producent, tuumque granarium, licèt, depletum, licèt exhaustum, quadam cum abundatia locupletabunt.

11. Et verò Pacis quidem portabat Aquila nostra, pietatis item ac commiserationis Olivas, queîs admoneretur ad aliorum subventionem; simul tamen etiam olivas sapientiæ, queîs in coronam contextis, suam incingeret frontem. Vixdum, Academia Complutensis Thomam inter ingeniosos suos Discipulos, susceperat tyronem, paulò post eundem acclamavit, ut eximium Magistrum; & sicut continuò stupuit patientiam discentis, ita admirata quoque est Sapientiam, alios edocentis. Et quid? ut mentem abundantiùs ingurgitare posset litteraturâ, ventri ciborum indicta fuit parsimonia: ut anima liberaliùs frui posset sapientiæ sole, studiis fatigatæ fuerunt noctium tenebræ: quin dimidiando virtuosas suas occupationes, partim in atterendo pupillas suas Doctorum lectione, partim in consolando, imaginis crucifixi intuitu; suspensum reliquit mundum, ac in dubio positum, appellarine magìs debuerit Cherubinus, propter scientiæ cupidinem; an verò Serphinus, propter Charitatis ardorem. Id interim ad encomium ipsius dixisse suffecerit, quòd in omni litteraturâ, Galat. 1. 14. Sancto Paulo Similis, *proficiebat supra omnes Coætaneos suos*: quòd primæ cathedræ illius famosissimæ Academiæ fuerint Thomæ doctrinâ nobilitatæ; quòd non solùm sœpiùs invitatus fuerit, ut Vniversitatem Salmanticensem suâ honoraret præsentiâ; verùm etiam stipendiis, solitò maioribus allectus & conductus: quòd discupulos habuerit innumeros, quorum plurima pars ad eam assurrexit, promovente Thoma, doctrinæ excellentiam, ut Magisterij meruerint gradum

dum : quos inter Dominicus Sotto magnus ille Theologus & toti Europæ notissimus.

12. Verùm enim verò quantumvis olivas, queîs gloriabatur Aquila nostra, coronis incinxerit docta Minerva, Thomas tamen elevans â terrâ volatum alia re satiari se posse prorsus negavit, nisi divini solis intuitu & eiusdem claritatis mentali fruitione.

13. Innatum est Aquilis, & ipsius naturæ conditione congenitum, præruptas amare rupes, inaccessa frequentare saxa, montium gaudere iugis; quoque sublimiora sunt, eò quoque sunt gratiora. *in arduis* (Sic DEO loqui placet apud Iobum) *ponit nidum suum, in Petra manet, & in præruptis silicibus commoratur.* C. 39. v. 37. Hæc proprietas observata quoque fuit â Plinio, dum ait, aquilam, *in petris & arboribus nidificare* : & authenticata â Peripatetico. l. 9. c. 32. *Nidulantur locis non planis, sed excelsis, præcipuè quidem arduis saxis* : & in his quidem remotioribus locorum Sitibus, sicut ab insequentium insidiis securiores sunt, sic cœlo quoque viciniores, cœlique pulcherrimo lumini, cuius intuitu, mirè afficiuntur, eiusque liberâ fruitione supra modum recreantur. Et tu, beatissime Thoma, quid? velut aquila regalis, innocentiam tuam incorrupti huius sæculi plano malè securam reputans, virili cum constantia huic terga vertisti, ad remotas ab turbæ frequentiâ, devotasque rupes, seu ad Sanctissimam Eremitarum religionem te contulisti, ac inter eiusdem annosas plantas refugium feliciter reperisti. Et has quidem rupes ingressus est Thomas; ubi rotundè seiunctus â mundi sollicitudinibus & absorptus in DEO cœli Civium concivis effectus est; aliâ nullâ re motus, nisi Spiritualibus; nullâ affectus, nisi cœlestibus. Ingressus est sacrosanctam hanc Eremum, sparsurus, velut in Palestinæ deserto Ioannes Baptista, immensam portentorum lucem. Militiam adamavit regularem; & huic quidem adscribi voluit sub magni Patriarchæ S. Augusti-

ni

ni directione : seu quòd crederet, alium quam Aquilæ dictum non deberi, qui dotatus esset aquilino genio, seu quòd mirabili quadam sympathiâ rapi se sentiret â magno illo, qui pariter habebat, & intellectum rarissimis doctrinæ luminibus illustratum, & affectum ferventissimis divinæ charitatis ignibus accensum. Hîc Thomas egregiè religiosum agere, lumbos setosis ciliciis arrodere, dorsum rigidis flagellis proscindere ventrem protractis ieiuniis exinanire: quin sicut in habitûs colore mortis exhibebat pompam; sic in observantiæ regularis rigore, ad mortificationis squalorem se totum ostentabat consecratum. Primus, dum eundum erat ad chorum; ultimus dum rursus evertendum. Raptus ut fuerit, & affectu extatico defixus in DEUM, nihilo tamèn minùs alas beneficentiæ suæ extendit ad proximum & queîs forsan urgebatur, necessitatum medelam; demum sicut in extrema paupertate, in summo se gradu profitebatur divitem; ita in profundæ humilitatis exercitiis se prorsus monstrabat singularem.

14. Atque hæc quidem splendidissima virtutum lucerna, sicut ab omnibus in veneratione fuit habita, ita digna quoque iudicata, ut supra candelabrum reponeretur. Hinc vix elapso duorum annorum spatio, electus fuit, in Patrem in illo conventu, ubi susceptus erat pro Alumno. Posthac honoratus officiis, Visitatoris, Provincialis, Definitoris per universum Hispaniæ regnum; tantos quaquaversum virtutum, sapientiæ, sacri Zel Deique amoris sparsit radios; ut facta super eadem reflexione, innumeri partim in intellectu fuerint illuminati; partim in voluntate sacro fervore accensi; sicque religioni Augustinianæ Heroës non pauti adiuncti, vitæ Sanctitate scientiarum multitudine, sapientiæ quoque gloriâ præstantissimi: *Viris vita Sanctimoniâ & litterarum præstantiâ insignibus S. Augustini familiam auxit.*

15. Et

15. Et verò quemadmodum ingenij, vigore diligentiæ solertiâ, continuo studiorum usu, lucubrationum præstantiâ, famæque, quà tum Thomas excelluit, claritudine, magna suæ religioni succreverunt lumina; ita seu horum intuitu seu singulari DEI dispositione, dissipatæ fuerunt umbræ, quæ tum per Hispaniæ regna, passim invalescebant. Delatâ ad Carolum V. & Philippum II. Augustissimos Monarchas, hac & nominis & heroicæ famæ celebritate, quæ Thomam longè latèque circumtulerat, anxietas utrumque incessit, quo modo plus indigentiæ Ecclesiæ, quàm commodis studerent Prælati, eundem Ecclesiæ Granatensis Archiepiscopum designârunt. Et quamvis hunc honorem cum tanta constantia recusaverit, cum quanta sollicitudine quilibet alius quæsiisset: penitùs tamen effugere non potuit; Etenim accedente non solum consilio, verùm etiam expresso superiorum imperio, Cervicem inflexit, & onus Archiepiscopatûs Valentiani in se suscepit. Et hoc quidem modo Thomæ commissum fuit Valentiæ regimen, qui tam excellens dotium suarum, valorisque non ordinarij dederat specimen. Promotus fuit ad Episcopatum modò nominatum, non sua inclinatione, sed alterius absolutâ authoritate, velut Aaron nonnullus, de quo dubio procul verificatur: *ad præceptum tuum elevabitur Aquila.* Et tametsi propter centum, queîs dotatus fuit, & exornatus, prærogativas, eiusmodi dignissimus extiterit gradu, acceptare tamen nullatenus voluit, nisi obedientiæ merito. Sed eccum! cellâ suâ Thomas egreditur, aditurus Archiepiscopatum. At quâ pompâ, quo apparatu, queîs comitibus? uno solo stipatus socio; nec aliâ veste, quàm religosâ coopertus tunicâ: per hoc utique clarissimè demonstrans, unicè sibi dilectas esse, charitatem fraternam, paupertatem, & profundam humilitatis demissionem. Atque quod huic exitui pondus addit, est, quòd facta reflexione, se promotum ad Archiepiscopatum; ac popterea suam esse relinquendam cellam,

Job. 39. n. 27.

i.. tam profusas proruperit lacrimas ; ac alius, ut ad eiusdem di pervenirer dignitatis eminentiam, cadentes è fronte lambisset sudorum guttulas. Felices, fortunatæque lacrimæ! nunc quidem doloris exprimimini violentiâ; sed olim in perfectæ felicitatis, iucunditatisque mutabimini semina. Tantum decorem, tantum ornatum, tantum cultum, addere nunquam possent fronti novi Archiepiscopi, pretiosissimæ ut essent, Erithreæ margaritæ; quantum eiusdem genis addiderunt â fletu præcipitatæ guttulæ; quidni putabimus, Valentiæ civitatem ab horrendis suis mundandam abominationibus, quandoquidem per vias eiusdem eiusdemque viciniam tam nobiles, tam efficaces, tamque Sanctâ venâ surgentes decurrunt rivi? Quidni & illud quoque speremus, Diœcesim istam, quæ hactenus horridi cuiusdam deserti speciem prætulit, in amœnissimum mutandam iri Paradysum; germinaturamque posthac undequaque & pulcherrimos flores, & pares virtutum fructus; quando cum tam pretiosis & irrorantur & fœcundantur pluviis? sed merge te Thoma immergeque penitus in duplici planctûs tui fonte: Nam Aquila, *renovetur abluta* poterisque & tu, non minus ac Aquila, tuum renovare vigorem, restaurare fortitudinem, acuere virtutem, redintegare robur, porròque accingere te, quàm ad difficilem, tam gloriosam etiam officij administrationem.

16. Ingreditur Valentiam Thomas; urbem sicut longo temporis intervallo, pastorali assistentiâ destitutam; ita variis, quàm in plebe, tam in clero vergentibus deordinationibus deturpatam. Nobilis, si fabricarum spectâsses structuram, & majestate plena; si mores Civium, & incolarum, horrenda & quibusvis ferarum latibulis magis abominanda. Ut adeò Valentiam ingressus Thomas, denuò replicare potuerit, quòd de S. Petro Romam intrante, S. Leo scriptum reliquit: *sylvam frementium bestia-*

stiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum ingrederis.

17. Etverò, quid porro faciet quid, posthac aget Thomas occurrentibus undique tot, talibusque feris monstris, confusionum enormitatibus? terrerine se finet, aut fortè penitus atteri, ab excessivo illorum numero, qui stygium evomentes venenum, corrigi nolebant, minus emendari? nullatenus: quin velut magnamina Aquila confidenter obviam ibit, non uni cuidam hydræ septem capitum; sed monstris facilè centum; suamque gloriosè opponet generositatatem, *obvia centeno.* Fortassis impediri se patietur, â dissolutis illis, seu superbiâ, seu clientum obsequio, seu quovis demum alio fastûs genere turbidis: impediri, inquam, cœptis suis, sapienter excogitatis, prudenter constitutis? sanè non; quin velut Aquilà magis, quàm aliàs inflexibilis, vires suas colliget, & in perversorum contumaciam applicabit: *in reluctantes.* Fortassis dissuasiones prævalebunt tepidorum, lentor Ministrorum exequentium, oppositiones authoritate præpollentium, difficultatum emergentiæ, apparentiæ periculorum, &c. Ac â suis propositis abstrahent? non equidem. Quin virtus huius aquilæ fortior evadet, & ab ipsis angustiis vigorosior conservatâ constantiâ in mediis tempestatum horroribus, nubium obscuritatibus; grandinum stragibus, impetuosissimis turbinum procellis; *negatâ tentat iter viâ.* Fortassis sponte suâ cedet Thomas, coactus intueri sibi ligatas â supremis Magistratibus manus, impeditam Authoritatem, turbatam iurisdictionem, intentatas Facultatibus minas, fortassis & vitæ quoque? prorsus non. Quin Aquilæ adinstar signatæ cum lemmate: *nil fulmina terrent*: arreptis cùm potestatis, tum Sacri Zeli fulminibus, ipsos terrentes, terruit; contranitentes repressit, impugnantes devicit. Paucis: â quibuslibet malitiæ gygantibus victoriam gloriosè reportavit. Fortassis spem inclinare sinet, fortassis omnino cadere, contuens gre-

gem suam ad extrema deductam ; & quàm â plagis necessitatis, tàm â vitiorum vulneribus, sicut in corpore, ita & in animâ miserabiliter, oppressam? nihil minus; quin, si sicut jam dictum est, aquila filiis suis impertit ; *proprio cruore vitam* ; Thomas, ut alterius sublevet infirmitatem, ipsi sibi rigidam indicit inediam ; ut aliis subministret medicinæ subsidium, flagellis sibi lacerat venas ; & ex saliente è venis sanguine conficit balsamum : ut in aliis callos consumat, â vitiis contractos ipse sibi, vel genubus suis orationis prolixitate callum inducit : ut porrò grex sua victima non amplius caderet inferno, ipse continuò DEO semet obtulit, pro laudis, placationisque victima : Paratissimus Semper, millies mortem obire, dummodo morti æternæ, sibi suæque curæ comissæ subtraherentur animæ.

18. Iam verò, de quo modò dictum, omnibus benefaciendi promptissimus animus, quàm ferventem secum aut habuit, aut traxit Zelum? audite, & admirantes stupete. Hîc congregato Concilio, Clerum inclamat, & ab eodem reformationem sollicitat, ibi totis viribus pauperes curat ; ubivis eosdem studiosè adunat, & in adunatorum sinum, quidquid frumenti in granario, pecuniarum in ærario supererat, liberalitèr effundit. Versus infirmos, totus Pietas,, benignam matrem ; versus contumaces totus rigor, se strenuum exhibet Principem ; evellendis è suâ diœcesi scelerum sylvis, iniquitatum dumetis totus focus ; Disponendis ad faciendos Pietatis Christianæ fructus, fidelium animis, totus, isque suavissimus ros : ubi preces nil iuvant minas intentat ; ubi minæ non operantur, rursus ad preces, confugit, & cum iisdem corda repugnantium illigat. Prædicat efficacitèr ; plus tamèn exemplo, quàm linguâ. Ut aliorum consulat quieti, quietem admittit, aut nullam, aut longissimis interruptam : ut aliis ad beata tabernacula facilitet ingressum, integras noctes exigit supra sarmentorum duritiem ; spargendo dein latissimè & mira-

raculorum splendorem, & Sanctorum consiliorum fulmina, plerorumque lucratus & animos, & affectus est. Quid? quòd, vel amotis vel compositis, quæ intercedebant, gravissimis difficultatibus, & clerus fuerit reductus ad reformationem; & sceleratissimi peccatores promoti ad Sanctitatem; publico dein bono aperta tria nobilissima collegia; atque ipsa Civitas, ex abyssali spelunca in amœnissimum Paradysum commutata: quin ipse Thomas, qui primitùs meta credi poterat, in quam omnes Sagittas, omnes aculeos, omnia spicula vellet exonerare maledicentia; posthac mutando dicendi stylo, publicè, plenis vocibus, solemni cum applausu, Christi vocatus fuit Apostolus; Chrysostomus sui temporis, Paulus in carne, cœli tuba; verbo: Fax magna, flammis divini amoris mirabiliter exardescens: *Cereus divini amoris nuncupabatur.*

19. Cæterum propter duplicem, amoris nempe, DEI & proximi, succensam flammam, Aquila nostra, ne porro terram aspiceret, oculos clausit; & recto volatu ad captandam in cœlis requiem se conduxit. Quid prohibet hic dicere; *justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei*: Elevat se ad cœlum, hæc aquila magna, satiatura nimirum pupillas suas, in illius divini solis aspectu, quem Semper pro desideriorum suorum statuerat termino. In hoc tamen secessu Evangelici Prophetæ Seraphinos æmulatus aut imitatus. Etenim sicut isti duabus cum alis se levabant ad DEUM; duabus verò cum alis volabant circa thronum, in quo DEI Præfigurata creditur Ecclesia: quasi vigiles & intenti, ut eandem & servitiis suis colerent, & protectione sua defenderent: ita Thomas noster, dum ad beatæ Patriæ properat fruitionem; suæ protectionis alas interim dilatat super nos; cùm ut â nobis malorum amoveat emergentiam, tùm etiam ut exemplo suo ad æternæ retributionis invitet procurationem. Conformiter textui: *sicut aquila provocans ad volandum pullos* *Deut. 32. n. 11.*

los ſuos, *& ſuper eos volitans*; *expandit alas*; quod idem in compendio dicitur: *provocat*, *& protegit.*

20. Quæ cùm ita ſint, cùm potenter *protegat* Aquila noſtra, arrigamur Auſcultatores; ad eiuſdem ipſi convolemus alas, inclamemus auxilium, ſupplicemus protec-
Pſal. 16. v. 8. tionem, cum pleno dicamus affectu: *ſub umbra alarum tuarum protege nos*; cúmque non ſolùm ſub alis ſuis nos protegat, verùm etiam exemplis ſuis, queîs mundo præluxit ad ſequelam nos provocet; quilibet noſtrûm eiuſdem conetur imitari charitatem, puritatem, Spiritûs fervorem, reliquaſque, quibus Thomas excelluit, virtutes: hæ nimirum illæ pennæ ſunt, quibus è terrâ ſe levavit, in altum ſuſtulit cœlos obtinuit, atque ad ipſum DEI thronum penetravit: atque eædem etiam pennæ, queîs eiuſdem poſſimus volatum aſſequi, ſemitam premere, terminum obtinere, cum-
Pſal 54. v. 7. que propheta dicere: *volabo & requieſcam.* Cæterum ſi dum hactenùs de peregrinâ tractavimus Aquilâ, ſeu pro argumenti decentiâ; ſeu pro huius præſentiæ dignitate condignum nihil fuit propoſitum, conpatimini benevoli cogitantes, miſerabilem perorâſſe talpam.

Cheru-

Cherubinus Quadriformis.

PRO FESTO S. ALDOBRANDI EPISCOPI, CANONCI REGVLARIS.

TRIBVTVM DVODECIMVM.

Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni. Ezechiel cap. 1.

INter cæteras gloriæ prærogativas, queîs Ægypti Regnum toti mundo inclaruit, illud quoque numerari poterit, quód Protheo, stupendarum qualitatum portentoso compendio, dederit natales suos. Protheus iste si naturam ipsius paucis complecti velimus, & idem semper fuit & tamen fermè nunquam idem. Etenim omnium, quas duntaxat voluit rerum imagines ac formas, in semet repræsentabat ipso; & eâ cum facilitate ac promptitudine, quasi virtutes earum, aut dotes naturales in sinu suo tenuisset & re-

restrictas, & collectas. Hominis figuram, ab utero materno secum deportatam, tam variæ & alterabant, & alternabant facies; ut nunc animosi ostentaverit majestatem Leonis; nunc inter armenta circumiens, mugitus, fuerit æmulatus, & officium bovis: nunc pennarum agilitatem assumendo, se se sublevaverit in aëra ad volatum; nunc in crystalinum defluendo rivulum, dulci cum murmure pratorum decurrerit virididatem. Subinde vivacis adinstar flammæ, cælum quoque petiit, quasi ad nativam sphæram anhelaret. Cæterùm hæc ipsa, quæ suis in voluminibus adumbrârunt prophani scriptores, expressa reperiuntur in Sacræ Scripturæ archivis. Etenim S. Narrat Ezechiel, visum â se Spiritum cælestem, qui speciem suam in quatuor variabat aspectus, mirabiliter differentes; neque duntaxat humanorum membrorum similitudini, lineamenta sociabat, Leonis, vituli, & aquilæ; verùm etiam eodem penitus Tempore, & pennis instructus volatum exercebat cum avibus; & manibus munitus, laboribus occupabatur cum hominibus; & ardentis adinstar facis aureas spargebat ac pretiosas favillas; *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni; & manus hominis sub pennis eorum, & aspectus eorum quasi carbonum ignis.*

2. Iam verò si Protheus, eruditorum opinione, magnum exprimit Litteratum, qui cùm Philosophiæ calleat arcana, tum astrorum quantumcumque varia sint, & admodum numerosa penetret, mysteria: aut excellentem quendam Oratorem, qui suadâ suâ, movere possit Auscultatorum affectus, ac in omnes, quorum lubet, trahere partes: præterea si EZECHIELIS Cherubini, prout Sanctus commentatur Bernardus, perfectos designant Prælatos, quos, Cherubicâ nempe sapientiâ plenos, complecti opportet, & hominis benignitatem, & leonis fortitudinem, & vituli patientiam, & aquilæ sublimitatem: de te modò dicturus, O Magne ALDOBRANDE! qui revera speculum.

Natal. comes. Mathiol. l. 2. c. 8

lum fuisti Prælatorum, sacrorum Oratorum gemma, genuinum Episcoporum exemplar, Cesenatorum gloria, Canonicorum Regularium splendor insignis; utique nec aliquid convenientiùs ad tuam Laudem; nec aliquid efficaciùs ad tuam existimationem conferre potero, quàm si dicam: quòd Evangelicum fueris æmulatus Protheum, & Cherubinum ab Ezechiele descriptum; quatuor nimirum aspectibus nobilitatum: de quo porrò verificetur: *Quatuor facies uni, & quatuor pennæ uni.* Hoc enim modo meus egregiè stabilietur discursus, quando supra quadratam basin fuerit conformatus. Neque dubito, quin etiam vestram, Auscultatores, facilitatura sit Patientiam, quando quatuor suis prospectibus, ceu rarâ varietate fuerit eleganter distinctus; & nisi luminibus rhetoricis, luminibus saltem propheticis, luminibus virtuosis, luminibus Sanctitatis quaquaversum adornatus.

3. Et verò, cum oculi vestri jam ad basin istam sint conversi, Cherubinum intueamur, humanâ Specie mirabiliter indutum; seu sub hominis figura, oculis intuentium se se præsentantem: nec absque mysterio. Per hoc enim innuitur, Sapientiam Cherubinorum, Sanctitatemque inseperabile esse debere hominis ornamentum. Dein si quæratur â scholarum Angelo, quo fine, quave significatione quadrupedia tam differentem ab hominis simetria, sortita sint membrorum situm; ut corpus nacta sint curvum, faciem pronam, & versus terram inclinatam; cùm interim homo staturam gerat erectam, & versus cœlum elevatam; pro responso dabit, id ideo fuisse factum, ut homo, naturâ sua curiosus, ac propterea scire desiderans, nullatenus impediretur, quin cùm animæ tum corporis oculos liberè defigeret in rerum creatarum elementa, orbium cœlestium, inspiceret spheras, utrorumque scrutaretur dotes, aut proprietarias qualitates; sicque thesaurum sibi compararet sapientiæ, atque scientiæ; quo deinceps humanam conversationem conditet, ac spectabilem redderet. Sanctus

autem Basilius illius opinionis est, quòd faciem, oculosque versus cœlum homo directos habeat, ut partim ad cœlestium rerum contemplationem partim ad DEI servitium se consecratum agnoscat, pariterque variarum virtutum prærogativas sibi consciscere viriliter allaboret.

4. Et verò, si tam sapientiam, quàm Sanctitatem in hominis fronte, veluti duas lucidas pupillas scintullare opportet; iure meritò *facies hominis* in nostro Cherubino venerabundè suspicitur: quippe qui, ut utramque sibi desponderet, ab ipsis puerilibus annis magna Semper cum anxietate contendit. Cum ipso matris lacte sapientiæ non minus ac devotionis mammas suxit Aldobrandus. Vt primùm teneris plantis insistere tutò poterat, omne puerilis ætatis spatium decurrit, nunc in templo, nunc in scholâ commorando. Sitis, qua tum admodum ardebat, ordinaria non fuit; sed cùm humanæ, tam sacræ quoque litteraturæ: ac ut hanc largiùs potaret, tumultuarios fori strepitus prophanosque theatrorum conventus penitùs devitavit. Continuò vigil, instar galli; verùm cum oculorum alterum inclinabat ad eruditæ Minervæ studium; in intuenda Dei luce defixum tenebat alterum: Ezechielis Cherubino probè similis, etiam prout à Sancto Ioanne describitur. Etenim si legendo, si libros versando, si studiis incumbendo, totus erat oculus; cum extatico quodam affectu increatam Dei Bonitatem amando, cultum ipsius promovendo, servitium Zelando, totus erat ex pennis concinnatus. Verùm cognoscendo pro suâ prudentiâ, quâ præditus erat pientissimus adolescens, plurimùm fallaces esse huius corrupti sæculi semitas; lubricum iuventutis genium; in abyssum vitiorum faciliter agi præcipitem; ad apicem perfectionis deveniri vix posse, citra cuiusdam & ætate, & discretione provecti directionem: animum adiecit, ad Canonicos Regulares Ravennæ tum existentes, ac vitæ innocentiâ, doctrinæque

fam-

famâ clarissimos confugere, eosdemque cùm pro studiorum Magistris, tum pro Spiritûs directoribus seligere.

5. Erat hæc, N: nobilissima Canonia, tum temporis nonnulla Athenarum imago, Lycæumque tam religionis, quàm doctrinæ celebritate, in Romaniâ facilè princeps. Erat mysticum quoddam cœlum, quod electâ Dei Matre pro sua stellâ polari, inter splendentia regularis observantiæ lumina ostentabat *Luminare majus, & luminare minus*: Sanctitatis scilicet & eruditionis. Erat quoddam Salomonis Templum, purissimis liliis fimbriatum; cuius in facie duæ columnæ, sapientiæ nimirùm & pietatis egregiam sui exhibebant pompam. Erat famosus quidam portus, candidis cygnis pariter, ac litteratis Sirenibus populatus; qui pro felici tranquillitatis indicio, splendentes offerebat Castores; litteraturæ nempe & timoris Dei. Huc igitur, relictâ patriâ Cesenâ, se contulit Aldobrandus; illum in finem, *ut majores in litteris, & pietate fructus faceret*: demum etiam meritorum suorum candore, seu candoris pretio, numerum adauxit Sacrorum illorum (sic dicere lubet) & inargentatorum conchilium. Candidam indutus lanam, divini Agnelli vestigiis inhæsit, & eadem cum omni deinceps fervore secutus est. In purissimo, quo vestiebatur, lino suimet macerationem suspexit, ac totis viribus, non imitari duntaxat, verùm etiam superare conatus est. Dato sacræ militiæ nomine & electâ quam profiteretur, Augustini Regulâ, finem reperire potuit nullum, aut in legendo docta volumina, queîs illustraretur intellectus, aut in contemplando Divina mysteria, queîs accenderetur affectus. Totus erat flammeus; nam natus in viâ Flamminiâ, quin totus una flamma, *lucens & ardens*: sapientiâ pariter & Sanctitate. Quidni verum diceremus Canonicum Regularem? quippe qui quàm proprii, tam alterius quoque profectûs sollicitus, & intentus, affectibus MAGDALENÆ, mirabiliter sociabat Marthæ Ministeria? insuper in

Genes. 1. n. 16.

choro degens Angelorum (tales sanè nominari merebantur illi optimi Canonici) ipse velut Apocalypticus Angelus, & animæ vultum propter Sanctitatem, continuò sustinuit instar solis luminosum; tenensque semper in manibus apertos libros, triplicatum promeruit elogium: *Sanctissimè vixit; erat vir doctus, & eloquens, & omnium virtutum genere exornatus.*

Offic. Can. Regu. Manzonius in vita.

6. Cæterum tanta, quâ viguit sanctitas; tanta, quâ claruit litterarum peritia, nullatenus permiserunt, ut intra claustri angustias obscurus sepeliretur Aldobrandus. Supra candelabrum reponi opportebat tam lucidam facem. Idque factum â Canonicis Ravennatensibus: quorum votis ad Præposituram Riminensem promotus Aldobrandus est: ubi posthac cum fervore Apostolico è pulpitorum eminentiâ, gemmas raræ suæ doctrinæ, & aureas pluvias suorum discursuum largiter diffundebat. Atque hactenus quidem, his, exercitiis immorando, magnus iste Protheus, Magnusque Cherubinus, hominis sustentaverat imaginem. Posthac verò vocis exaltato sono, partim sacrum quendam peccatorum Monstris incutiens terrorem; partim generosè reprehendens conscientiarum desolationem; *propter vocem clamantis in deserto* (verba sunt, & conceptus S: Hieronymi) fortem repræsentare cœpit, ac magnanimum Leonem. Et verò si de Leone suo disseruit & asseruit Ioannes: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperire librum, & solvere septem* signacula eius. Quidni dicere liceat idem de Aldobrando; quippe qui sacrarum litterarum volumen, rarâ cum diligentiâ in manibus versavit; non ordinariâ cum dexteritate explicuit, latentia Mysteria Mirabili cum felicitate eruit; demum reconditos sensus non minori cum acumine enodavit. stupenda fuit, & etiamnum est Nili fertilitas, olim ab Ægyptiis symbolicè exprimi solita cum leone copiosas aquas è faucibus evomente: & eiusmodi Leo noster etiam Aldobrandus est; quandoquidem

l. 2. contra Iovinianũ.

Apocal. 5.

quidem ab ipsius ore torrentes præcipitant, & integra eloquentiæ flumina. Stillârunt olim ex Leonis cuiusdam faucibus delicati favi, stringentes in se, & ceræ substantiam, & mellis suavitatem: stillavit non minus ex Aldobrandi labris cera, quando conscientiarum caligines mirabiliter fuerunt illustratæ; stillavit & mel quando cordium afflictiones solatiorum dulcedine fuerunt aut mitigatæ, aut penitùs effugatæ. Fremunt sylvæ, trepidant saltus, horrescunt deserta, pariunt fugitivæ cervæ, partusque, quos tenacibus uteri membranis involutos tenebant, & illigatos, ociùs in Lucem proferunt, cùm Leonum rugitus insonant: & quid Aldobrando prædicante, quid ipsi putatis contigisse N? cadebat non minus Cedrorum superbia, evulsæ sunt è cordibus scelerum spinæ, stimulata peccatorum pigritia, inditus turpitudinis sensus, compuncti animi, contritæ mentes accelerata pœnitentia, & copiosi pœnitentiæ fructus. Vt Aldobrando facilè adaptes illud Prophetæ oraculum: *Vox Domini confrigentis cedros, Vox Domini concutientis desertum; Vox Domini præparantis cervos*; vel prout legunt septuaginta: *parturire facit Cervas.* Psalm. 28.

7. Referunt hystorici, durantibus Aldobrandi Concionibus duo contigisse mirabilia: nimirum quòd hirundines imperante illo, strepidosam suam garrulitatem frænaverint, & obmutuerint; sacrilegi verò facultatum Ecclesiasticarum usurpatores, reprehensiones eiusdem ægerrimè tulerint, ac in seditiosas voces eruperint. Mira sanè res, & insolitus successus! quòd differentis Sanctitatem venerata sint bruta, persecuti verò homines, ratione præditi: quòd aves, nativam vincendo garrulitatem, imperio præstiterint obsequium; homines, ab infami victi avaritiâ seditiosè contranisi sint, & turbulentam conceperint rebellionem: quòd hirundines, vocibus Aldobrandi pellectæ, velut cœlestem audierint Orpheum; sacrilegè tenaces, quamvis homo verè fuerit aureus, in fatale versus ipsum exarse-

rit odium: quòd hirundinum silentium eundem ad cœli sublimaverit altitudinem; Harpyarum verò rabidus tumultus ad sepulchralem inclamaverit abyssum.

8. Sic nempe Zeli, quem ostendit Aldobrandus, flammæ, vicissim flammas excitarunt: flammas nempe indignationis, flammas odii, flammas vindictæ: atque dum, ad similitudinem Cherubini, ab Ezechiele descripti,
Ezech. 1. 13. *velut carbonum ignis ardentium*, annititur vivi carbonis adinstar, in mentibus auditorum suorum accendere virtutum amorem; parùm abfuit, quin â fuliginosis illis, nigrisque carbonibus in lugubrem Mortis fuisset redactus cinerem. Hæc nempe virtutibus deditorum frequentissima sors est, â malis aspici malè, tractari malè. Quemadmodum enim rubeus color buffalis iram; ita candidus, sanguinariis lupis Sanguinis movet sitim. In innocenti balatu, bilis frementum concipere, quis prohibet? Rectitudinis lumen, umbram tentationis pro individuo comite habere, magni Papæ Gregorij mens est, & opinio. Observatum quoque fuit â Plutarcho, Cantharides, malignum illud muscorum genus plerumque rosis insidere, quæ cæteris & odore sunt magìs fragrantes, & venustate Superiores. Quid? quod Libræ signo, æquitatis expresso symbolo, branchæ scorpionis continuò vicinæ sint, seu, quòd idem, Semper in insidiis constitutæ. Concionatus equidem in publico civitatis foro est: speciem tamen habuit, velut in deserto prædicâsset; quandoquidem aliquot Auditorum, velut lividi serpentes, vocem Sancti incantatoris sufferre non valentes, illuc cogitationes adiecerunt, ut sanguinem eidem è venis, animam è præcordiis evocarent. Sed enim perspiciendo Leo noster in vultibus hostium suorum, & micantes iræ scintillas, & concitatas â furiis infernalibus faces, Leonem æmulatus, quos pugnâ nequiit, fugâ superavit.

9. Fugit Aldobrandus; & exemplò IACOBI, Davidis, Eliæ, Mathathiæ, Christi, Silæ, Paulique Secu-

tus,

tus, fugiendo suis, quos plurimos habuit inimicis se subtraxit. Fugit, & instar viri verè Apostolici, illud Evangelij præceptum executus est: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Matth. 10. 23. Fugit, & fugiendo generosis illis se coniunxit, de quibus Apostolus, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, & effugerunt aciem gladii.* Hebr. 11. 33. Fugit, ut effugeret mahinationes, vitæ suæ structas: jam enim eundem rabiei suæ devoverant malè feriati sacrilegi; veluti vitulum, ad victimam consecratum. Verùm Divina rerum Moderatrix Providentia, finibus suis eripi passa non est Aldobrandum. Et ipsa velut vitulum, ipsum habuit, tractavitque. Velut vitulum, inquam, & talem, qui opinione Theodoreti *sacerdotium* significat, *& sacrum principatum.* Matth. 2. Quandoquidem res eò disposuit, ut in Episcopum eligeretur. Quocirca de ipso commodè dici poterat: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et ipsemet Aldobrandus, ad cœlum conversus: Tu ille ipse es, Prov. 8. O Magne Deus! *qui exaltas me de portis mortis.* 31. Atque hoc quidem modo supremus mundi Dispositor, *Ludens in orbe terrarum*, prout jam olim edixerat sapiens, effecit, ut Aldobrandus instar pilæ contra terram proiectus, verses cœlum resiliret, atque ad Episcopalem dignitatem emergeret. Sic lucerna, quàm subtus modium sepelire cogitaverat, malevolentia, supra candelabrum fuit reposita, Sic lucis splendorem, quem oderant bubones, venerabundè respexerunt Aquilæ. Cumque jam urgeretur ad umbrarum mortis societatem, cum â Clero, tum ab Vrbe quoque fori Sempronij per Legatos electus fuit in Episcopum. Nec electus solumodo, verúm etiam, cum modestè reniteretur petitioni, â fusis in terram legatis adiuratus, ut eiusmodi difficile munus in se reciperet.

10. Iam verò, quid de hac vobis videtur, electione, tam rarâ, tam generosâ, tam laudabilibus circumstan-

ſtantiis qualificata ? quid de eâdem dici debere putatis, N? Laudandamne potius Electorum prudentiam, an Electi dignitatem? ſuis ſanè laudibus, ſuis encomiis, ſuis plauſibus, & hic, & illi digniſſimi ſunt. Electores quidem; quandoquidem, ubi de ſufficiendo Eccleſiæ ſuæ capite, aut de primâ tractabatur conferenda dignitate, nec carnis auſcultantes, nec ſanguinis ſuadas, in illum majorem congregant votorum numerum, quem meritis cenſent, ac dotibus, reliquis potiorem: quandoquidem truncato quovi, ſeu politicæ, ſeu privatæ paſſionis reſpectu, eiuſmodi talem ad ſummum promovent ſacerdotium, non qui plures habet, queîs commendetur â magnis Perſonis litteras; ſed queîs ipſe cæteris ſupereminéat, exquiſitæ litteraturæ prærogativas: quandoquidem non perſonæ Eccleſiam, ſed Eccleſiæ quærunt perſonam; ſeu eiuſmodi conditionis ſeligunt hominem, non qui mutuetur ab officio dignitatem; ſed qui ipſi dignitati, accumulet decorem: quandoquidem non expectant, donec eligendus ſe inſinuet, vota ſupplex ſollicitet; inſtar onerati Cameli compareat, dona promiſſis accumulet, variis induſtriis arbitria inclinet; ſed ipſimet ſponte accedunt, induſtrias præveniunt, in genua ſe demittunt precibus, velut catapultis, inſtant, omnia tentant, donec Aldobrandi cor dulciter emolliant, ac ut petitis condeſcendat mitigent, flectant, perſuadeant. O egregij, O ſummis laudibus extollendi Electores!

11\. Verùm enim verò quid Electores deprædico? deprædicanda potius Electi merita forent; quippe cuius vita, morum integritate exemplaris, converſationis modeſtiâ inculpabilis, perfectionis Sanctitate illuſtris, populi devotionem attraxit; cuius egregia virtus exteras vrbes, ut exaltarent ſe, validè devinxit; qui velut Aaron ſui ſæculi, Deo apprimè complacuit, ac ut ad ſummum Pontificatum promoveretur, permovit; qui ſummis dotibus, queîs, ut ſupra reliquos eveheretur promeruit; infimam humilitatem con-

coniunxit, ac aptissimus ut fuerit, omnium incapacissimum se reputavit: qui quidem frontem suam Mitræ pretiositati subtraxit, per hoc tamen ipsum gloriæ diadema promeruit: gloriæ repeto; diadema jam olim obtentum â Magno Gregorio, Ambrosio, Bernardo, Brunone, Thoma Aquinate, Antonio, Philippo Nereo, Philippo Benizio, Fulgentio, Remigio, Cæsario, Basilio Magno, Gregorio Nazianzzeno: & inter Canonicos meos Regulares; ab Augustino, Thoma Conturbiensi, Aquilino, Guarino, Theotonio, Ubaldo, Albino, Bennone, IOANNE, Malachia, Florido, Laurentio, & facilè centum alijs, qui vel ultrò oblatas dignitates constanter recusârunt, vel ut oblatas tandem acceptarent, illatâ vi compelli cogique debuerunt.

12. Cogi non minus, compellique debuit ALDOBRANDVS noster, & demum seu vivis supplicantium instantiis, seu Dei impulsu, ad laborem incitante adigi, ut, secu patiens vitulus, præsulatûs iugo cervicem inclinaret. Felix, fortunataque civitas Chori Sempronij, cuius foro tantus thesaurus fuit illatus, cuius nundinis, tam illustris negotiator accensitus. Ammodò te ingreditur Aldobrandus, sudaturus egregiè, ut in te repertas animas excolat, â vitiorum sentibus liberet, ac Christianis vicissim virtutibus imbuat, imbutas fæcundet; quasi ad te Pertinuisset, aut suo in corde sonâssent accentus illi: *Ecce constitui te principem, ut evellas, & destruas; ut disperdas, & dissipes, ut ædifices & plantes.* Jerem. 1. n. 10. Quò faciliùs commissum sibi gregem ad sempiterna conducat pascua, suis ipse datorum â se exemplorum passibus præcedit; docens, instruens, admonens, adhortans singulos non tam cum linguæ facundia, quàm cum factorum efficacia: Datam â Dei Filio regulam secutus: *cæpit facere & docere.* Act. 1. 1. Pauperum, pupillorum, viduarum quoque derelictarum singularem Semper curam habuit: illos affectu cum paterno adiuvans; istos cum maternæ propensionis teneritudine amplectens, & succollans; has, suscep-

ceptis earundem in se causis, patrocinio suo consolans, & protegens; Iobum æmulatus: *Pater eram pauperum, & cor viduæ consolatus sum.* Omnium profectum vehementer Zelatus fuit; ac ut promoveret etiam, Protheus effectus, varias formas induit, omnium genijs se assuefecit, indigentiis accomodavit: *Omnibus omnia factus.* Vidisses in ipso Paulum, illum gentium Apostolum; quando cum indicibili benignitate suos tractavit subditos; eosdem compellare solitus: *Filioli mei, gaudium meum, & corona mea*: se verò seu proprium corpus cum omni rigore & austeritate; meritò dicturus: *castigo corpus meum, & inservitutem redigo.* Vidisses non minus Macarium, aut quendam Hilarionem: quando in ruvidis ciliciis se sepelit, acutis aculeis pectus perterebrat, habitus morumque candore lilij puritatem ambit, & repræsentat etiam, sed pungentissimis spinis undique circumvallati. Vidisses etiam in ipso Salomonem, aut quendam Zorobabelem: quando majorem vrbis Ecclesiam ab imis fundamentis erigit, nubibus inserit, iustam ornamentorum perfectionem addit: seque capacem reddit, de quo dicatur: *Ecce Sacerdos Magnus, qui in vita suffulxit domum, templi etiam altitudo ab ipso fundata est.* Vidisses pariter aut Augustinum, aut quendam Chrysostomum; quando nullum abire permittit festum diem, quo non aut è Chatedra dicat, aut aliàs doctrinæ suæ fæcundantem rorem destillet, sicque viridarium Ecclesiæ suæ riget, & incrementa procuret quorsum illud facilè trahas: *Quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina.* Vidisses demùm Ananiam, aut quendam Misaëlem: quando ieiunia frequentat, & â ieiuniis vires ad Apostolicos Labores participat; quando cum exacto rigore alimenta carni subtrahit, per hoc humanam conditionem propemodum transcendit, in purum Spiritum evadit. Cherubinum quendam repræsentat, aut, ut melius dicam, Cherubinum vitulum, qui pacis, ijsdemque parùm sapidis herbis famem fallit, vitamque sustentat: quando preti-

Job. 29. n. 13. — 1. Cor. 9. 22. — ad Philip. 4. — Eccl. c. 50. n. 1. — Deut. 32.

tiosis culcitris insternit lectum, ut suum gradui conservet decorem; interim ad captandum, brevem licèt, & pœnosum somnum, quatenùs Crucifixum imitaretur durissimum eligit asserem.

13. Dicat modò magnum illud patientiæ miraculum, Sanctus Iob: quòd Aquila (cuius similitudinem quarto fermè loco expressit Cherubinus, ab Ezechiele visus) *ponit in arduis nidum suum*: etenim non ægrè concedemus quando noster etiam Aldobrandus, supra molestam, simul ac admodum incommodam lignorum duritiem, genialem sibi struit, ac pretiosum nidum. Nec admodum miror, Aldobrandum adeò suam inquietâsse quietem; quippe quem continua cura sollicitum reddidit, ut, ceu cœlum serenum etiam noctis tempore, pupillis apertis, dilecti sui gregis custodiæ invigilaret, aut ne, velut Aquila contemplativa, etiam inter noctis umbras, à sole divino inamoratas pupillas diverteret: facilè cum Propheta replicaturus: *oculi mei Semper ad Dominum.*

Job. 39. 21.

Psalm. 24. n. 15.

14. Et reverà, si de subditis sermonem faciamus: quemadmodum Aquila supremam de suis pullis gerit sollicitudinem, eosdem tenerrimè fovet, tutatur, defendit; propterea cum Lemmate signari solita: *anxia pro his*: ita Aldobrandus unicè anxius de charis suis ovibus nempè commissis, nihil suspirabat magìs, quàm illarum salutem; nihil optabat magìs, quàm ipsarumet incolumitatem: centum circumferens oculos, ut aptè custodiret; centum fatigans Manus, ut ijsdem necessaria provideret. Quamobrem in ipsum quàm optimè transferri poterat encomium, olìm ab ipso DEO Moysi concinnatum: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Quandoquidem nunc cum Apostolicâ linguâ, linguâ penitus igneâ, Dilectos suos incitabat, ut se se subrigerent sordidas terræ fæces desererent, & ad fortunatam cæli clarita-

Deut. 32. n. 11.

tatem sublevarent : *provocans ad volandum* : nunc cum affectu prorsus materno, providæ suæ curæ alas super eosdem extendit, extendendo contexit, tegendo defendit defendendo confortavit : *super eos volitans* : nunc eosdem conspiciens viribus destitutos, debilitate fractos, infirmitate collapsos, velut Evangelicus Pastor in sinum amorosè recepit, brachijs incinxit, atque ut dulcissimum pondus subiret, humeros inclinavit : *atque portavit in humeris suis* : nunc, quòd maximè considerandum, eò virium industriam, facundiæ vigorem, cæterosque persuadendi nervos intendit, ut ab ijsdem evinceret, quatenùs animæ pupillas, in solem æternum defigerent; puris DEI obsequiis intenderent; illuc desideria, vota, spes denique suas collocarent, ubi â plena felicitatis pessessione restingui, impleri, satiarique possent.

15. Et in hac Deo serviendi norma, postquam integrum exegisset sæculum Aquila nostra demum ad æternitatis vocata bravium est. Annos attigit ætate, quos olim Magnus ille portentorum patrator Moyses, Iosuatus, Antonius Abbas, Romualdus, Patritius, centum nempe, & longè plures; quibus expletis, vitæ pariter, ac laborum periodum clausit, *in senectute bona.* Calendis Maij, Mensium flore, seu florum mense candidissimum lilium in paradysi viridarium fuit implantatum. Calendis Maij, mense nomen suum â majoribus advocante, venerabilis iste annosus, præter argenteam, quâ jam aliàs adornatam habebat faciem, auream quoque consecutus coronam est, gloriosæ scilicet mercedis, beatæ retributionis, & consummatæ claritatis. Et quemadmodum vitam transegit verè Apostolicam, qualem esse censemus Canonicorum Regularium; & simul etiam in laboribus Apostolicis; sic Sanctis etiam Apostolis Philippo & Iacobo consociatus, depositus terrenis exuviis, cum alis aquilinis, *ad vitam immarcescibilem evolavit.*

16. Iam

16. Iam verò qualis fuerit hic volatus, qualis iste transitus, æreæ campanæ edixerunt è turri Ecclesiæ, â se fabricatæ, pendulæ, & sponte suâ sonoræ. Quid enim aliud hoc festivo sonitu insinuâsse nobis imaginemur, quàm in veram libertatem asserto applaudere, victrici victoriam accumulare, triumphanti adgratulari? nisi fortassis id quoque significare voluerint; æneam requiri vocem, æneumque vigorem, queîs dotes, quas possedit; numerosa portenta, quæ cùm in vita, tum in morte patravit mirabilis iste Thaumaturgus, satìs exprimantur: vel etiam, ut applausus, huic Heroi debiti congruam nanciscerentur proportionem; qui quàm in Dei obsequiis, tam in Ecclesiæ servitiis, semper pectus circumtulit, ex ære conformatum: *cui robur, & æs triplex circa pectus fuit*: vel demùm, ut inferrent, quòd ipse vitam terminando.

Exegit monumentum ære perennius, *Horat.*
Regalique situ pyramidum altius.

17. Et verò, vellem ego modò, Auscultatores ut, quandoquidem Sanctissimus vitæ tenor Aldobrandi nostri in quadrata repræsentatus fuit basi quilibet nostrûm, Colossum inerigeret, & propriæ Sanctitatis, & rotundæ perfectionis. Quid hæremus, quid moras trahimus? illuc saltem curam sollicitudinem, conatum, laboremque nostrum conferamus, ut in nobis ipsis exprimamus *faciem hominis*, unicè intenti, ut necessariam nobis sapientiam, pietatem, Deique Timorem assequamur: *faciem leonis*: generosè resoluti, ut depravatis vitiorum assultibus resistamus; *faciem vituli*, Spontaneè prompti ut Crucis iugum patienter supportemus, animi pariter ac cordis culturæ studeamus: *faciem Aquilæ*; hac diligentiâ stimulati, ut mentem nostram ab hisce terrenis quisquiliis abstrahamus, cum extatica quadam elevatione ad altiora dirigamus, ac cùm ad Dei gloriam, tum ad interminabilem Empyrei beatitudinem aspiremus.

18. Neque dici mihi volo, vel objici, arduum id fore, & impossibili proximum: naturâ nostrâ, vitiis depravatâ, Semper ad perditionis centrum non inclinante solumodò, verùm etiam ponderoso lapsu præcipitante. Etenim Aldobrandus ille qui dum extremus sibi jam jam instaret vitæ terminus, coturnici, vitâ functæ ad vivos ignes assatæ atque ad comedendum probè præparatæ, adhuc vitàm dedit, Spiritûs vigorem indidit, atque ut avolaret, pennas expediit; etiam cordibus nostris, tametsi virtutum vitâ destitutis, tametsi discordiarum, odiorum, impuritatumque flammis occupatis, & aliò deflexis, noverit occurrere, sylvestres ignes extinguere, vitæ vigorem restituere, atque Spiritum sustentantem ut ad vitæ metam irrefragabiliter collimet reparare.

19. Cæterum, O Magne Aldobrande! si dum tuas decantavi laudes, nec argenteâ sum usus nec aureâ cy-
1. Cor. 13. tharâ; sed vili, sed inartificioso, sed stridulo cymbalo;
n. 1. *velut æs sonans, & cymbalum tinniens*: respice voluntatem; metire intentionem; trutina, qui sanè devotissimus est, affectum, benè verte, quæ hactenùs in tua solemnitate strepitavit, & gratanter accepta vocis raucedinem, sicut, dum obires, dum hinc abires, optimè acceptâsti,

Sacram spontaneamque campanarum
consonantiam.

Magister

Magister adhuc Discipulus.

PRO FESTO S. HIERONYMI ECCLESIÆ DOCTORIS.

TRIBUTUM DECIMUMTERTIUM.

In Medio Ecclesiæ aperuit os eius, & implevit eum Dominus Spiritu Sapientiæ & intellectûs. Eccli. 15. n. 5.

MAgnus ille, perindéque clarissimus Evangelista quem cœli selegerunt, ut non minus cum penicillo, quàm cum penna, divinas registraret, & aliàs impenetrabiles prærogativas; quique & cælando & scribendo operatus mirabilia est, penitúsque cedro digna: descripturus raras Magni Baptistæ excellentias, stupendasque dotes; tam ieiunè, tam strictè, tamque contractâ id oratione exequitur, ut sacrorum paginarum interpretes vix satis possint admirari. Siquidem

dem dum de Tiberio sermonem habet, Imperatorem appellat; dum de Pilato, Iudeæ Præsidentem nominat; dum de Philippo & Herode, Palestinæ Tetrarchas declarat; dum Annæ & Caiphæ, sacerdotum Principes memorat: dum IOANNI Baptistæ nudissimos terminos adhibet: *factum est verbum Domini super Ioannem.* Gloriæ sanè cedit, quòd Evangelista Mathæus de Ioanne disserit; nempè quòd setosis vestitus fuerit Cameli spoliis; vili cinctus ad latus, & ruvidâ circumdatus lanâ, locustis pastus, sylvestrique melle quæ verò cuncta profundo silentio præterit S. Lucas, solumodò perhibens: *factum est verbum Domini super Ioannem.* Sed enim, quid intercedere censeamus, N: quid tam prohibere, quò minùs posteritati communicentur hi tituli, hæ prærogativæ, hæc S. Ioannis elogia? siccine pœnitentiarum acerbitas, macerationum austeritas, observantiarum rigor, queîs Iudææ provincia rapta fuit in stuporem, digna S. Lucæ visa non fuerunt, ut aliqualem eorundem faceret mentionem? quorsùm hæc succinctissima periodus? *& factum est Verbum Domini super Ioannem*? Verùm enim verò, si, quod S. Ambrosius opinatur, referre; si, quid ipse, sentiam, exprimere debeo; tum, quæ in præfata periodo continentur, prærogativæ; nimirùm, esse discipulum in cœlesti scholâ eruditum, aut Magistrum, edocendis mortalibus supernè destinatum, ad tantam accedunt altitudinem, ut aliæ quævis, tametsi magnæ, tametsi insignes, tametsi singularitate illustres, censeri possint in hisce duabus includi, vel ceu quodam epilogo constringi, atque adeò â nullis aliis dignitate antecedi, ac propterea velut elogiorum cumulum meritò solas memorari. *Benè Sanctus Lucas*, discurrit Ambrosius, *compendio usus est, dicens: factum est verbum Domini super Ioannem, ut alia non adderet; unum dixit, & omnia declaravit.* Iam verò, si, prout è Sancto colligimus Ambrosio, cùm apprehensio Sapientiæ, tum eiusdem etiam ad proximorum nostrorum utilitatem dispensatio, quamvis aliam

Lucæ 3. 2.

aliam transcendit seu natalium, seu religiosarum excellentiarum gloriam; facilè poteritis exorari N. ut, dum ad Magni Hieronymi honorem brevem panegyrim concipio, in ipsas liceat panegyris leges impingere, patriam, in qua primò lucem aspexit; avos, â quibus genus suum deduxit; natalium splendorem, quo mundo inclaruit, silentio involvere, pœnitentiæ quam egit, austerissimum rigorem tacendo præterire: ac perinde totum, quem in præsens perorare intendo, discursum ad duo capita deducere: nimirùm, quòd citra requiem, citra ullam respirationem, totam vitam occupaverit, ut alios doceret; ac siti quadam inexplebili stimulatus, non primos duntaxat, qui studiis dicati sunt; sed extremos etiam, ac decrepitæ ætatis annos, qui quibuslibet laboribus receptui canunt, continuò fatigaverit, ut addisceret. Quibus ipse studiis sanè & mirabilis evasit, & omninò portentosus. Mirabilis, utpote insignis Ecclesiæ Doctor: *In medio Ecclesiæ aperuit os eius.* Portentosus: quippe propter Discipuli diligentiam, & singularem doctrinæ aviditatem, Sapientiæ divinæ thesaurarius: *& implevit eum Dominus Spiritu Sapientiæ & intellectûs.* Ac ne vestros, quos utique jam animo concepistis N. applausus huiusmodi prærogativis & congruos & debitos, diutiùs morer, ad exenteranda, queîs orationem meam definire propositum est, capita, quantociùs progredior.

2. Usu propemodum jam invaluit, ut veræ sapientiæ, thesauri pretiosi titulus proveniat. Quâ nimirùm adiectione, satis â terrenis thesauris discernitur. Etenim isti cautissimâ sollicitudine recondi; ille ad totius mundi proventum obviâ liberalitate profundi amat. Aggeres oderunt eiusmodi pretiosi rivuli simul & littora; quatenùs quaquaversum in omnes partes, & mundi latera decursus patescat. Et sanè quisquis demùm unquam hac pretiosâ affluentiâ supernè beatus est jam inde, si non obligari, saltem induci censetur, ut sui pectoris ærarium dilatet; præ-

fatas affluentiæ divitias depromat, earundemque cùm oppida & civitates, tum integras quoque Provincias, participes reddat. Quorsùm pertinere videtur, quod salomon, de
Prov: 1 16. sapientia discurrens, ait: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* Quorsum etiam Apostoli clarissi-
1. Petri. 4 10. mum effatum: *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ DEI.* Quo prorsus sensu de se fuit locutus, Ro-
Senec. ep. 6. manus sapiens, dum ad Lucilium suum scribit: *Ego cupio in te omnia transfundere: & in hoc gaudeo aliquid discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licèt eximia sit, & salutaris, quam mihi uni sciturus sum.* Quæ cùm ita sint, facilè quis conceperit, quo impetu, seu raptus, seu tractus fuerit ad eiusmodi irrequietum literarum studium S. Hieronymus. Quâ verò copiâ, quâ liberalitate, quâ stupendâ profusione deinceps dispensaverit, feceritque communem, quo largiter erat imbutus, cùm sacræ tum prophanæ litteraturæ thesaurum, id non facilè quis pro dignitate repræsentaverit. Non contentus cum radijs portentosæ suæ virtutis, illuminâsse Dalmatiam, Italiam, Franciam, Græciam, & multas alias occidentis plagas; in Orientem se contulit ac propè Bethlehem, declamatam Palestinæ civitatem sedem posuit inibique celeberrimam Accademiam suscitavit. Atque hic erat ille felicissimus situs, ex quo velut è centro ad omnes mundi angulos gloriam Hieronymi fama dilatavit. Bethlehem aliàs, civitas panis, tum in Magnificum evasit sapientiæ theatrum; ex illis angustiis, in quibus natum Patris Verbum primas voces edidit, suas quoque voces diffudit hæc Syren Christiana: voces doctissimas, eruditionis, instructionis, institutionis multifariæ. Commoratus apud cunas Salvatoris, ab eruditâ pennâ suavissimum stillabat lac. Ipsumque bethlehemiticum hospitium ex antro quodam mutatum fuit in quoddam theatrum; quòd ritè censeri poterat totius Christianitatis oraculum:

quo

quo & meliùs, & securiùs, & feliciùs, quàm olim ad oraculum Delphicum Antiqui, recurrere poterant genuini fideles, & ab Hieronymi linguâ doctissima sapientiæ responsa recipere. Sanè si compendia amemus, erat tum Hieronymus felix quidam ager, qui recepta doctrinæ sementa avebat multiplicia reddere, multiplicata rursus mortalium cordibus implantare. Et quidam fons, qui non solùm ostentabat intellectûs sui concham, undis sapientiæ supra fidem repletam; verùm etiam in limpidissimos rivulos undequaque diffluentem. Erat quædam apis, quæ per latissimos totius litteraturæ hortos divagata, delicatiores studebat succos emungere, exinde mel conficere, atque copiosa aliorum intellectibus alimenta præparare. Erat quædam perspicax aquila, in id unicè connixa, ut, cùm in campis Gentilitatis, tum in sacræ scripturæ Montibus reconditorum conceptuum ac sensuum prædas ageret, actas cum magnanimo proventu rursus ad aliorum gustum dispertiret. Erat quoddam concavum speculum; quod dispersos in immensum sapientiæ radios laborabat in proprio pectore colligere, collectos cum duplicatâ energiâ denuò remittere, remissos ad dissitissima loca propagare.

3. Recepta jam â plerisque doctrina est, in quatuor Cherubinis, ab Ezechiele descriptis, prout nempe, jugalium adinstar, mirabilem illum gloriæ DEI, currum trahebant, quatuor Ecclesiæ doctores fuisse repræsentatos; utpote â quibus cum Sancta fides, tum veritas Evangelica, nomenque Redemptoris, per universos propè Mundi angulos, cùm triumphali pompa fuerunt deportata. Et quoniam in illorum quolibet, quatuor differentes observatæ fuerunt stupendæque formæ, *quatuor facies uni*, nimirum aspectus leonis, aspectus bovis, aspectus aquilæ, & aspectus hominis, qui reperiantur, seu potius concipi debeant in Sancto nostro Doctore, demonstrandum. Quid verò facilius quid dictu promptius? Erat aspectus Leonis;

quandoquidem desertorum factus habitator, cum sonora sua voce & terrebat, & fugabat hæreticalia Monstra. Erat aspectus bovis, quandoquidem in volvendis, revolvendisque voluminibus continuus fuit, & fortiter laboravit. Erat aspectus aquilæ; quandoquidem mentis aciem, meditationibus, ac orationis assiduitate occupatam, in divino sole perpetuò defixit, nullibique majores delitias percepit. Erat aspectus hominis; quandoquidem sciendi cupiditate stimulatus, cum inimaginabili diligentia studiis incubuit, diebus & noctibus libris impalluit. Studuit Hieronymus, & studuit citra fatigationem: tam ut sibi, quàm etiam, ut alijs proficeret. Plurimas linguas non solùm intellexit, sed tam intimè calluit, ut pennæ quoque obedirent; Sclavonicam, Romanam, latinam, Græcam, Hæbraicam, Arabicam, Syriacam, Chaldæam omnibus in omnium vel suo proprio scribens idiomate, mirum est, quid effecerit, quàm efficaciter quasvis Nationes, cùm ad sacræ fidei amplexum, tum ad Evangelicæ veritatis agnitionem incitaverit. Præterea si Prophetæ subiungere complacuit, Cherubinos â se descriptos similitudinem prætulisse, quasi carbones forent, magno fervore accensi, & lampades, peregrini luminis claritate radiantes: *& aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*: tum Hieronymus utrumque complexus est aspectum, & carbonis, & lampadis; carbonis in sinu, Lampadis in externa conversatione; carbonis in sinu; nempe claritatem, instar carbonis accensam, & fervidè bullientem: lampadis in externa conversatione; scilicet in suis discursibus, in suis operibus, in purgatis, limatisque doctrinis, in Sanctis exemplis: cum & in his Hieronymus mirum quantum inclaruit, lampadis adinstar fulsit, fulgore vitiorum umbras in fugam coniecit, hæresum errores aut pessumdedit, aut dissipavit. Vt adeò, quatenùs per ipsum à cuiusvis corruptionis malo præservatus Mundus fuit, proprium sibi fuerit encomium: *vos estis sal*

sal terræ; quatenus doctrinæ præstantiâ illustratus; illud ad se traxerit; *vos estis lux mundi.*

4. Et quidni mundi lux foret appellandus, quando ipsius imaginem referebat solis? Solis inquam. Etenim sicut aquilis innatum, in huius planetæ lumine perspicaces oculos defigere, ac exinde visum vel acuere, vel genialiter recreare: ita tum passim invalescebat, ad Hieronymum velut generalem mundi Doctorem recurrere, intricatissimas difficultates deferre, ac ab eodem, velut â scientiarum sole dilucidationem sollicitare: *tanquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum divinæ scripturæ quæstiones explicandæ referebantur.* Quotiescumque contigerat, hæreticos emergere, fideique Christianæ negotium facessere; â sole isto, velut â sacro quodam Apolline, queîs configerentur, sagittæ petebantur. Vbi nodi succrescebant, â nemine enodabiles; ad linguam Hieronymi sumpta fuga fuit, velut ad Alexandri gladium. Ubi vel oriri, vel apparere successerat, Sacra Volumina sibi contradicere, vel contrarietatem involvere, quatenùs aut conciliationem nanciscerentur, aut explicationem; ad Hieronymi pennam deferebantur, velut ad pacificum Caduceùm. Verbo: quoties aut umbræ surrexerunt ambiguitatum, aut tenebræ errorum, aut nubila falsitatum; diremptio commissa fuit Hieronymo, mundi soli & unico tum Univèrsi Magistro: *in medio Ecclesiæ aperuit os eius.* Aperiente os Hieronymo, suum claudebant hæretici. In linguâ, facem prætulit, velut Elias sui sæculi; quâ vel minimùm solutâ, jam undique luminum micabant scintillæ. Et acies pennæ, quæ, quanta, qualis? ab hac, stygia retusa fuit malignitas; distillati rivuli, non atramenti, sed auri penitùs colati, queîs immane pretium ipsius additum voluminibus; formati characteres, quibus seu declarata fuit universi, seu registrata felicitas. Hinc ad ipsum pleno volatu se contulêre, non mediocris duntaxat conditionis homi-

Breviari Rom. 30. Sept.

omnes, sed summæquoque, queîs sæculum illud gloriari poterat, dignitatis heroës: Pauli Orosij, Severi Sulpitij, Apodemij, Alipij Damasi, & demum ille Doctorum Phænix, S: P: Augustinus: omnes cupidi, omnes aviditate flagrantes; in hoc limpidissimo fonte ora proluere, ab huius rari solis pretiosissimis splendoribus irradiari, huius Magni Magistri beneficio doctrinarum fundamenta stabilire, huius Magistri, qui *in medio Ecclesiæ aperuit os eius.*

5. Et hîc obsecro! concessum mihi sit, honoribus S. Hieronymi, velut animati Divinitatis templi, & omnium scibilium nobilissimi theatri, adaptare oracula, ad templi Salomonis, urbis itidem Hierosolimæ honorem ab Evangelico Propheta formata: *erit præparatus mons, Domus Domini, in vertice montium; & elevabitur super colles; & fluent ad eum omnes gentes; & ibunt populi multi: & dicent, venite & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos &c.* Nam si sacer ille mons Syon, super omnes, & montes & colles eminet, quidni Sanctum Hierōnjmum seu virtutum præstantiâ, seu doctrinæ plenitudine supra montes omnes eminuisse dicemus, quando cùm à summo Pontifice Damaso, tum ab ipsomet Augustino, Litteratorum montibus, Magister ipsorum agnitus fuit, & inclamatus. Dein si populi devotionis fervore stimulati, tantâ cum agilitate conferre se solebant ad montem illum, quantâ è montibus fluvij præcipitant, & ad vallium profunda deproperant; torrentes nos reperiemus, non aquarum, sed discipulorum, sed illustrium ingeniorum, sed eruditionis famâ excellentium, qui omnes reconditioris litteraturæ sitibundi, ad sublimem, quæ in Hieronymo vigebat, sapientiam propenderunt, anhelârunt, quovis studio ad se derivare, allaborârunt. Rursus, si Israëlitæ, properantes ad templum illud materiale, secum dicere solebant, vel ad invicem: *& docebit nos*; id non minus dicere potuit tota

Isa. 2.2.

Chri

Christianitas de S. Hieronymo intellectuali theatro ; quando ad eundem anxiè confugiens, tam promptè fuit admissa, tam benignè audita, tam eruditè edocta, tanto cum fructu illustrata.

6. Et verò tametsi magna sit S. Hieronymj gloria, eò quòd singulariter illuminatus Magister â tota agnoscatur Christianitate ; utpote qui *in medio Ecclesiæ aperuit os eius* : maior tamen evadit hinc, & longè illustrior, quòd jam doctor, officia discipuli non exuerit, discendi sitim ad ultimam vitæ periodum conservaverit, nullis interim, ut eandem continuò falleret, laboribus ac vigiliis pepercerit ; aures semper accomodaverit, & apertas semper tenuerit, ad recipiendum defluvium illius sapientiæ, quam avidè perpetuò ambiverat, designatam illis verbis ; *& implevit eum Spiritu Sapientiæ & intellectûs.* Ut adeò, quando quis Hieronymum solem appellâsset, exquisitissimæ suæ litteraturæ lumina quaquaversum diffundentem ; experiri debuisset, ab Hieronymo solis currum fuisse conscensum, per omnes mundi angulos agitatum, ac, ut quarumvis virtutum claritudinem conquireret occupatum. Altè nimirùm ingeniorum iste Phœnix, impressam pectori gerebat Apostoli periodum : *oportet Episcopum Doctorem esse* : & hinc tam egregiis Sacros codices commentarijs exposuit, expositionem tam profundâ doctrinâ illustravit. Admonitus autem, & ab alia eiusdem Apostoli periodo Lancinatus : *oportet Episcopum docibilem esse* ; ambas aures promptas habuit, & adaliquid, quòd solidam doctrinam saperet, ad discendum, humiliter inclinatas. Subibat quandoque mentem, unam homini linguam â natura, duas autem datas aures : ut inde moneretur, multa doceri debere cum linguâ, audiri verò longè plura, pluraque addisci, & apprehendi. Poterat equidem cum Isaia gloriari & dicere : *Dominus dedit mihi linguam eruditam* : optimè cognoscens, â Providentiâ divinâ assumptum se pro doctissimo Ecclesiæ suæ Magistro : sed pote-

1. Tim. 3. 2.

2. Tim. 2. 25.

Isai. 50. 4.

poterat etiam adiungere; *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum*: in hoc unicè delectatus, & recreatus, adinstar discipuli quærere; quos consuleret, circumspicere; quos interrogaret, frequentare. Tam Valerius Maximus in Pythagoræ diligentia sibi complacuit, tam ab eodem amore repletus fuit, ut finem fermè nullum faciat, eandem deprædicandi, & immensum quoddam mare encomiorum in ipsam conferendi. Neque, cur ipsum propterea reprehendam, quidquam reperio. Etenim tametsi jam tum fuerit, *perfectissimum opus Sapientiæ*, tamen in Ægyptum se contulit, illum in finem, ut litteras symbolicas, in illa scholâ usitatas, addisceret & doctrinam solâ traditione posteritati communicari solitam, in suæ mentis ærarium importaret. Quod mirabili non solùm felicitate, sed & compendio consecutus est. Dehinc in Persiam profectus, discipuli munus rursum æmulatus, cœlorum motus, planetarum circuitus, & reliqua, quæ tum â Magis docebantur, inimaginabili diligentiâ complexus est. His nondum contentus, Insulam Candiæ petiit, spartanamque civitatem, itinere, plurimis incommodis, & gravibus periculis constante. Ut nempe & leges, queîs publicum regebatur, & mores experiretur. Et tametsi præter Platonem, qui tamen, accedente totius vastissimi mundi confessione, & applausu, *omnium mortalium sapientissimus haberetur*; & eiusdem eloquentia, prout Gentilium doctiores loqui solent, elgantia, & nervositas tanta fuerit, ut nec â Numinum Deitate potuisset superari; sublimissima quævis queîs sæculum illud condecorabatur, ingenia, Athenas magnâ contentione concurrerint, ut differentem Pythagoræ linguam, velut dulcissimam Philomelam audirent, his nec obstantibus, nec curatis; *ipse Nili fluminis inexplicabiles ripas, vastissimosque campos, effusam barbariem, & flexuosos fossarum ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat*: Et quid ipsum putemus in eiusmodi fluxuosis Nili circuitibus, lu-

Ibidem.

Valer. Maxim. L. 8. c. 7. n. 7.

Idem ibidem. n. 3.

lutosis camporum impedimentis, horridis barbarorum cohabitationibus, profundis fossarum hiatibus, quæsiisse, vel utilitatis cogitâsse? nimirùm ut in annosorum, quos tum Ægyptus alebat, Magistrorum Notitiam deveniret, in familiaritatem ipsorum se insinuaret, receptus in Scholam, docentes audiret, profectumque litterarium, quo tam afficiebatur, ultimis lineis, quantùm equidem humano studio possibile, absolveret. Cæterùm quis in Hieronymi personâ, Pythagoræ studium non modò renovatum videt, verùm etiam multis parasangis superatum? siquidem impatienti sapientiæ desiderio victus, vastas primùm Græciæ provincias; dehinc maritimas, montosasque Galliæ regiones; tum Palestinæ terram peragrans, in intimas Syriæ, squalloreque horridissimas oras pervasit, nullam in alia re consolationem reperiens, quàm in mutatis studiorum laboribus; nullum omnino gaudium, quàm in magìs semper ac magìs promotâ Spiritûs puritate, doctrinæ incremento, scientiarum perfectione. Et si grave fortè vobis sit N: modò dictis fidem adhibere, patiemini, procul dubio, ad ipsiusmet Hieronymi, quod de se ipso perhibet, testimonium vos ablegari; quod ad Pammachium & Oceanum scribens, ita concipit: *Dum essem iuvenis, miro discendi ferebar ardore.* Dein, quod magìs considerandum: *Iam canis spargebatur caput, & Magistrum potius, quàm Discipulum decebat*: & tamen tum *perrexi Alexandriam, audivi Didymum, in multis ei gratias ago. Quod nescivi, didici.* Et cætera quæ porrò legere est. Et quis verò vestrum erit, N. cui negotium non facessat, aut saltem admirationem creet, eiusmodi prodigiosa humilitas, ferventissimum sciendi desiderium? Quòd non contentus cum devoratis in puerili ætate scholæ pulveribus, nec cum consummatis robustæ iuventutis flore, vigore, viribus, adhuc discipulum induat, scholam frequentet, venerandam canitiem, adepti magisterij gradum abundè satis asserentem, inquietet, & studiis divexet: constantissimè re- *Epist. 95.*

solutus, prius studiis cupiditatem non dimittere, quàm vitæ usum: interim in hoc vitæ non modò condimentum, sed etiam vitalem Spiritum collocare: lectione detineri, profectionibus erudiri, perfectâ litteraturâ exornari.

7. Magnam olim laudem, multos applausus; exquisitum promeruit encomium Ioannes Evangelista, SS: Petrus, & Paulus Apostoli: & Ioannes quidem, quòd etsi jam intimus & Christi & Empyrei secretarius, non erubuerit Magdalenæ discipulum se nominare, profiterique, â fœmina didicisse; & majora Christi ad vitam revocati mysteria, ab eadem participâsse: Paulus; quòd etiamsi vas electionis, & tuba paradysi, dedignatus non fuerit, ad Gamalielis pedes considere, eundem pro suo magistro agnoscere, & eidem erudiendum se præbere: Petrus demum, quòd licèt in ipsius Dei scholam admissus, revelationibus illuminatus, multaque, quæ ordinarium hominis captum superant, secreta doctus, tamen ad minimum sese discipulum demiserit, & de quibusdam, tum ignoratis rebus, ab eodem certior reddi sollicitaverit. Et quid prohibet, eandem laudem, eosdem applausus, eadem encomia tribuere Hieronymo; quandoquidem jam mundi Magister, jam Christianitatis oraculum, jam cuiusvis imaginariæ litteraturæ Lycæum; jam senex, canitie niveus, & ad decrepitam jam propè devergens, etiamnum Hierosolymam intrat, pro sua commoratione Bethlehemi viciniam eligit, nocturnas horas quieti subtrahit, egregiè peritum Rabbinum circumspicit, repertum pro Magistro sibimet, præficit, anxiè interrogat utriusque cùm Hebraicæ, tum Chaldaicæ linguæ fundamenta indagat, demum utriusque pefectissimum intelligentiam sibi conciliat.

8. Nobile admodum, nec ullis retrò sæculis visum Spectaculum fuit illud, quod exhibuit in semet ipso regum optimus David, tum, quando jam ab ultima senectute propemodum consumptus, Virgineo Matrimonio sibi socia-

ciavit venustissimam Abisag. Iacebat hæc nobilissima puella, in sinu, senio confecti Monarchæ, parebatque ceu candidum lilium, ceu purpurea rosa, inter canescentes hyberni pruinas intactè efflorescens. Virgineæ munditiei candor nunquàm aliàs albescebat venustiùs, quàm inter illius venerandæ canitiei candorem. Hymenæi faces luce splenduerunt in illis nuptiis eò lætiore, quo minùs ignea, minùs inflammata: innocens secum ferentes lumen, non voracem ardorem. Gloriatus tum, & in illis Articulis, pudicitiæ thesaurus est, tantò majori cum efficacia se custoditum, quantò magìs languidum, & magìs impotentem habebat, nec minus affectuosum, quàm Zelosum custodem. Nec erat, quòd trepidaret, quòd vacillando tremeret sponsæ honestas; utpote quæ in tremuli senis decrepito vigore, quendam habebat fideiussorem; cui â sinu suæ bellæ dilectæ, quæ compacta quædam videri poterat ex nive massa, confortativæ refectiones accesserant, non voraces, non dissipatorij insultus. O David, O Abisag! exclamat, accubitum hunc perpendens Hieronymus, quis in vobis non agnoscit, nobile cùm senectutis, tum sapientiæ connubium? quippe quæ etiam sub extremis vitæ periodis non cessant vicissim consociari, vicissim uniri, vicissim mutuis amplexibus delectari. Quantumcumque corporis in senibus debilitetur vigor, majores continuò sumit vires Sapientiæ amor: *omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente solâ sapientia decrescunt cætera.* Epist. ad Nepot. Quando jam jam labi incipiunt membra corporis, & ad sepulchri præcipitium impelli, plùs quàm aliàs anima se se tum erigere solet, Sapientiæ pennis vestiri, altoque volatu recreari: nec minus, digito jam ultimam hyemem ostendente canitie, virtutum flores genialiter incipiunt emergere homo prudens iisdem affici, velle reiuvenescere, & ad amœnissimum virilitatis ver aspirare: quin fructus colligere tantò sapidiores, quantò maturiores ingenij, longorum an-

norum studioso cultu perfectionati. *Senectus eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.* Agedum N. coronetur Hieronymus, corona texatur ex vivacissimi floribus ingenij; interpoletur cum clarissimis accutissimæ perspicacitatis gemmis; dicatur ipsum, quo modo David Rex, jam senem, jam canitie conspersum, Sunamitidis captum pulchritudine, seu sapientiæ castis incensum amoribus, & eiusdem amplexu summa cum delectatione delitiatum. *Iam canis spargebatur caput*: jam nivibus erat occupata frons, vigore destitutus petulantior sanguis; cor tamen adhucdum æstuabat fervidissimo sciendi desiderio. Provectior ætas, quin ipsa jam declinans senectus ad sepulchri vocabat marginem, & plenis passibus tendebat Alexandriam in Ægypto, hinc in Hierosolymam, prosequens illam Sapientiam, â qua rapi sibi sentiebat totam cordis affectionem. Passim accllamabatur consumatissimus scientiarum Magister; & ipse si non haberi, saltem operari voluit, ut diligentissimus discipulus; prorsus contemnens, quid propterea censerent Critici, dicerent Censores, criminarentur maligni, ægrè, vel indignè ferrent invidi æmulatores: quin risus, mordaces iocos, dicaces cavillationes, in laudis materiam convertens, tum primùm, dicebat, se cessaturum addiscere, quando cessandum esset vivere.

9. Quocirca non incongruè quis opinatus fuerit in Hieronymi operationibus renovatum fuisse ascensum, & descensum, quem in Angelis olim observavit Magnus Patriarcha Iacob; *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes &c.* Ascendebat hîc Hieronymus, raptus contemplativa sublimitate; descendebat illîc revocatus ad imum per operosa activæ vitæ exercitia: ascendebat cum ingenij acumine, superando quosvis, quos ullibi terrarum ostentare pos-

Genes. 28. 12.

possent Academiæ, litteratos; descendebat pariter, remittendo eruditionis subtilitatem, & eandem accomodando ad debilium Auditorum imperfectionem: ascendebat, docendo in cathedris & pulpitis consumatissimus Magister; descendebat rursus, versans in scholis & conferentiis, tantâque se gerens cum humilitate, & modestiâ, quasi foret imperfectissimus Discipulus. Verùm enim verò seu ascensum perpendamus, seu descensum, uterque planè fuit Angelicus; vel Hieronymus, tam in uno, quàm altero quidam Paradysi videri potuit Angelus: Angelus dotatus innocentiâ, dotatus Spiritûs perfectione, dotatus exquisitâ sanctitate: Angelus, supra modum excellens, intellectûs acumine, subtilitate, energiâ, velocitate, res quaslibet capiendi, penetrandique non ordinariâ efficaciâ: Angelus in Dei obsequiis & charitatis fervore tam accensus, ut nonnullo modo cum ipsis conceptare potuerit Seraphinis: Angelus scientiarum peritiâ, eruditionis abundantiâ, sapientiæ demùm rotunditate tam dives, tam copiosè prædicus, & adimpletus; ut sub hominis figurâ quidam credi potuerit absconditus Cherubinus. Et verò si Deus gloriari solet, supra Cherubinos sedere, iisdem velut curribus, uti, circumquaque volare, supra pennas ministrorum suorum propriam gloriam circumferre, pariterque, universi mundi conspectui ostentare; *Ascendit super Cherubin, & volavit*: multùm non aberraverimus, si easdem prærogativas in Hieronymo revereamur, Psalm. 17.
quem Doctorem maximum providere dignatus est: quippe qui maximus inter Doctores, alis aquilinis, ingenio velut Phœnicis, incomparabili, Dei gloriam per universos mundi angulos circumtulit, encomia tam per Orientis quàm Occidentis plagas deprædicavit, triumphalem Echonem undequaque resonare fecit: illius nempe Dei, quem pro unico laborum suorum termino statuit, in visceribus suis continuò detulit, ex intimis cordis viribus animitùs adamavit: dignus propterea, quem totum quà quà patet, Universum, re-

ſpiciat, feliciter acclamet, reverenter obſervet, rivaliter imitetur.

10. Et modò quid moramur, quorſum inducias trahimus quouſque noſtris officiis deſumus? ammodò noſtræ mentis intendamus facultates, concipiamus laudes, cumulemus encomia in honorem illius Hieronymi, qui & inter omnes, & ſupra omnes, quot quot extiterunt, ſeu ingenij acumine, ſeu vitæ Sanctimoniâ celebres Doctores, Magiſter fuit facilè limatiſſimus & ſanctiſſimus: paſſim omnes concurrant, & certatim ſe fatigent linguæ, in formandis panegyricis, illi Hieronymo, qui & inter omnes diſcentes, diſcipulus fuit diligentiſſimus, & ſupra omnes humillimus. Cæterùm cùm ingenij vires mihi deſint ut argumenta ſatìs efficacia concipiam; facundiæ debilitas major ſit, quàm ut condignam orationem adornem: verbo, longè minor ſim, quàm ut Oratoris muneri plenè ſatisfaciam; in vos, N. velut acerrima ingenij vivacitate præditos, nobiliſſimam functionem reclinans, quòd nequeo præſtare cum encomiorum ſervitio revereri conabor cum ſilentij taciturnitate.

Ferii

Ferri Prærogativæ.

PRO FESTO S. VINCENTII FERRERII.

TRIBUTUM DECIMUM QUARTUM.

PEregrina prorſus, & intellectûs humani captui primâ fronte aliena ſententia eſt pretioſiora quæque metalla â ferro antecelli. Etenim ſeu vires conſideremus, queîs ferrum â naturâ fuit dotatum; ſeu colorem, quo dotalitèr imbutum; tum illæ nobiliores utique cenſeri poſſunt in argento, ceu capiti; in auro, ceu cordi primariò dedicatæ: tum iſte quoque; cùm albedo, quâ veſtitur argentum, genialiter luceat; flavedo, quâ tingitur, aurum amabilitèr ſplendeat; ubi nigredo, quâ ferrum obfuſcatur, quodamodo horreſcit, oculos non admodum hilariter afficit; mentem neſcio cuius ingratæ reflexionis animadvertit. Sed enim ſemotis interim, queîs originalitèr pollet facultatibus; quas tamèn per decurſum non omnino ſilenter tranſibimus; Ferrum in ipſa ſua nigredine ſuperbit; quippè quæ & immutabilem perſiſtentiam oſtentat, & tantam fortitudinem in ſe conſtringit, ut arma militibus, exterminium barbaris, propugnaculum regnis, ac provinciis exhibeat. Cúmque per fer-

ferrum partim inimici configantur, partim etiam agri fœcundentur ; facilè manifestum redditur, Ferrum tàm â victoriarum celebritate, quàm opulentiæ claritudine, cum reliquis metallis contendere, primatum ad se trahere, ansamque Theodorico regi præbere, ut quo ferrum egregiè deprædicet, in has periodos prorumpat : *Hinc auxiliante DEO defensio Patriæ venit ; hinc agrorum Fertilitas procuratur, & in usus humanæ vitæ multiplici commoditate Auro ipsi imperat.* Et ceu parum esset, quòd dixit de tam præclaro metallo ; subiungit : *& nobis lucra generantur, & hostibus procurantur exitia.* Possem ego hodie, dum ad narrandas S. Vincentii Ferrerij laudes invitor, ipsum aut auro conferre, aut argento : hominemque nominare vel aureum ; ceu ab opulentis Hispaniæ mineris, regia videlicet urbe Valentina natales suos revocantem : vel argenteum, â Parentibus ingenuis, familia insigni, famâque celebri, nobilitatem originis recognoscentem : hominem, ut paucis absolvam, aureum aut argenteum, vel intuitu pretiositatis doctrinæ, quæ ab ipso in ærarium intellectûs sui, cum universi huius ingenti stupore collectæ ; vel propter virginalem puritatis munditiem, quâ corpus ipsius, pariter & anima fuerunt adornatæ. Nihilo tamèn seciùs propositum mihi, est, â Familiæ Ferreriæ, ex qua ipse descendit, cognomine non discedere ; sed Vincentium hominem appellare, ex ferro constantem, hominem fortem, hominem invincibilem : cuius operâ multæ Christianæ Provinciæ fuerunt egregiè fœcundatæ ; vitiorum verò monstruositates passim devictæ, destructæ, desolatæ. Cæterùm cùm seu toreumata, seu sculpturæ nobiliores longè sint quando ex materiâ durâ & intractabili ; neglectiores autem, quando ex molli, facile flexibili, seu quomodolibet delicatiori elaboratæ ; facilè poteritis exorari N. ut benevolas hodiè mihi præbeatis aures auscultetisquè patienter prodigia, de Ferrerio nostro deinceps in medium proferenda. Nam licèt ferri

Cassiodor. Var. l. 3. Ep. 25.

ri nomen vile sit & abiectum, fassuros tamen vos confido, verificatum in Ferrerio, quod â quodam Poëta dictum.

Vincit materiam, nobilitatque labor.

2. Nemini, nisi prorsus inter vivos hospiti, notum non est, auri tributa tam ab uno, quàm altero Mundo regnis Hispaniarum admodùm opulenter provenire. Eadem tamen regna, singulare non minus habent, quòd in suis Visceribus ferri quoque abundantiam progenerent. Producunt ferrum, quatenùs populis illis, ad Martis obsequia tam inclinatis arma commodent; simul tamen etiam in lucem proferunt Ferrerios, qui DEO exercituum nomina dent, servitia iurent, optatis ipsius lucris invigilent & efficacitèr promoveant.

3. Nondum è visceribus maternis, velut fœcundis mineris extractus erat Ferrerius, cùm jam prolixè poterat cognosci, futurum ipsum familiare divinitatis instrumentum. Etenim Patri, dum quondam Sensibus sopitis, anima Cælestibus arcanis invigilaret, fuit revelatum, infantem â se conceptum, vitæ integritate, sapientiæ studio, miraculorum demum claritudine, & in se renovaturum, & in Francia pariter ac Hispania, honores Apostolorum, & gloriam eorundem. Matri verò, dum ipsum utero gestabat, visum subinde, non fœtum aliquem in alvo ferre, qui corpusculi sui pondere gravaret; sed Spiritum; aut parvulum saltem, qui & levitate & agilitate cum Spiritu contenderet. Putabat prætereà sæpius, audire se, nescio quas ab utero suo voces ad cælum transmitti, voces fidi cuiusdam vigilantisque canis æmulantes. Quin hominum multitudini quæ ad partum concurrerat, apparebat, è sinu fœlicissimæ Matris non venustum aliquem prodiisse infantulum, sed pulcherrimum Paradysi angelum. Quin amicis sanguineque iunctis, qui recens natum è sacro fonte levaturi erant, opinio cæperat insidere, renovata tùm Iudeæ mirabilia. Quandoquidem, quemadmodum Ioanni Baptistæ

ſic etiam portentoſo huic parvulo, non illud imponebatur nomen, quod â ſuis progenitoribus, aut illuſtrioribus avis fuerat derivatum; ſed quod â Deo, Deique Miniſtro, tanquam ab Oraculo, pronuntiatum, iuſſumque, vocaretur Vincentius. Hinc cùm priùs fuerit celebratus, quàm natus; priùs cognitus pro gygante, quàm habitus pro infantulo; prius pro gratiæ prodigio, quàm pro naturæ conceptu; perſpicaciores quique tracti in admirationem, dicere ſecum ſolebant: *quis, putas, Puer iſte erit?* ſi ſol, adhucdum in auroræ detentus utero, tam uberes, tamque lœtos emittit radios, quid facturum putamus, cùm cœli conſcenderit apicem? ſanè Vincentius victor erit tam egregius tam inſignis, virtutis tam ſpectatæ, ut centum facilè collecturus ſit palmas, mille triumphales lauros: Ferrerius ferrum erit, tanti roboris, tantæ efficaciæ, tantæ energiæ; *ut hinc defenſio Patriæ, agrorum fertilitas & hoſtibus exitia inferantur.*

Luc. 1.

4. Porrò tametſi ferrum, metallum ſit omninò fortiſſimum, perinde tamen etiam valde flexibile, tantaque præditum eſt aptitudine, ut quaslibet formas, â fabri voluntate conceptas, & artis induſtriâ intentas in ſe recipiat. Quamobrem ab ingenioſo quodam, ferri maſſæ, artem nondum expertæ, hoc lemma adſcriptum fuit: *in quaſcumque formas.* Nullam enim excludit, nulli reſiſtit, nullam repellit, ſed omnibus ſe, ſuamque ſubſtantiam adaptat: quæ vel uſui eſſe poſſunt, vel humanis ſervitiis commodæ. Et verò quorſum hæc in medium ego produco, magne Vincenti? niſi ut pateat manifeſtè, iure tibi nomen â ferro proveniſſe, iure Ferrerij cognomen. Quandoquidem adinſtar ferri promptam Semper circumtuliſti aptitudinem, tam ad recipiendas, quàm etiam repræſentandas formas virtutis cuiuslibet, ac exquiſitæ perfectionis. Cœleſtis dici poteras Protheus, tam egregiis Prærogativis fer-

formisque tam illustribus prœditus, quantis unquam ullus S. Ecclesiæ celebratus Heros fuit adornatus.

5. Atque ne vobis, N. ullum subnasci possit dubium, mecum observate Vincentium: considerate paululum attentiùs; mente revolvite dicta, facta, & quibus occupatur, exercitia; intuemini frequentem in templis, & quendam simul Samuelem, qui *in conspectu Domini manebat jugiter.* 1 Reg. 2. 22 Intuemini avidè sugentem è DEI verbo æternæ vitæ mel, & pariter quandam Mariam, quæ *sedens secus pedes Dominj audiebat verbum illius.* Luc. 10. 39. Intuemini quatuor diebus applicatum ad largiendum generosâ manu pauperibus quaslibet facultates, â progenitoribus suis sibi assignatas, & simul quendam Zacheum, vel cum Zacheo dicere valentem: *dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Luc. 19. Quin imò cum Petro: *Ecce nos reliquimus omnia.* Math. 19. 27. Intuemini ieiunia, quæ Vincentius in annis adhuc infantilibus diebus Mercurij & Veneris suscipit, deinceps magno cum rigore continuat, nec unquam per totum vitæ decursum intermittit, & quendam etiam Nicolaum Tolentinum, aut aliquem Nicolaum Barensem, qui â primis usque fasciis; *Quartâ & sextâ feriâ semel duntaxat*, cibum sumere consueverunt. Brev. 6. decemb. Intuemini porrò divinæ Matris teneritudinem, quam Vincentius secum recolit; crucifixi Filij pœnas, quas devotissimâ mente perpendit, seu potius lachrimas, quas utrinque ex intimâ compassione profundit, & pariter quendam Augustinum, in ipsâ fletûs amaritudine delitiantem: *flebat autem uberrimè*: & rursus: *fluebant lacrimæ, & bene illi erat cum illis.* Offic. can. Reg. Intuemini demum, jam ad annum duodecimum perventum, dialecticæ studio diligentissimam operam navantem, ingenij perspicacitate inter condiscipulos tam eminentem, ut facilè *summus haberetur*: & quendam suo modo (liceat dicere) Salomonem, qui de se dicere poterat: *Puer eram ingeniosus & sortitus animam bonam.* Et verò quòd *in quascumque formas* animus Vincentij fuerit

apprimè dispositus, exinde quoque licebit coniicere, quòd alterum lustrum nondum, aut vix egressus, Templum in schola, theatrum in scamno, cathedram in pulpito; tum in parvulis suis virginale quoddam auditorium præfigurans; quorumlibet seu prædicatorum, quos ullibi auscultavit; seu Theologorum, queîs operam dedit, non solùm pronuntiationem, vocis inflexionem, majestatem, ambitum, gravitatem, efficaciam, gestus, motus, imitatus sit; verùm etiam quòd in quovis alio singulariter animadvertit, velut in limpidissimo speculo reflexit: clarissimè demonstrans, quòd aut ipse solus cum suis egregiis dotibus mille huiusmodi præclaris viris æquivaleat; aut omnium talium ingeniis collectim accedat, vel etiam antecedat. Ut adeò maturum, quòd jam tum exerebat, iudicium; & facti, quos in flore pueritiæ præferebat, virtutum fructus, passim præsagierint, quòd Ferrerius, qui jam omnes adæquaverat, quondam omnes superaturus sit: & illa; quæ tum inter angustos scholæ parietes fiebant, aliorsum per famam, disseminata, Franciam, Hispaniam, Italiam, Europam, quin mundum universum in admirationem pertractura.

Hæserat stupore Plinius, reputans hinc secum ferri quâ pollet, firmitatem; illinc miram, quâ ad Magnetem fertur, inclinationem. Hæc sanè tanta est, ut illâ non obstante, magnetem continuò respiciat, cum incredibili teneritudine ambiat, ad amplexus cum eodem anhelet, impetratis inseparabiliter inhæreat. *Quid ferri* (loquitur Plinius) *duritiâ pugnatius? sed cedit & patitur moras; trahitur namque à Magnete lapide, atque ut propius venit, assilit, tenetur que & complexu hæret.* Et nos, N. quid de Ferrerio dicemus? scilicet & ipsum quoque raptum â virtute divinâ, raptum suaviter, raptum instar magnetis; raptum, ut ad optimum IESUM se conferret, ad obsequia redemptoris in claustri cuiusdam angustiis consecraret, ac ut bea-

cis

tis illis amplexibus non amplius divelleretur, votorum vinculis incingeret, & inseparabiliter colligaret.

6. Ac ut compendio rem absolvam, raptus ad Ordinem S. Dominici Ferrerius fuit; in hoc, velut in officinâ ferrariâ positus, ad quaslibet excellentiores ideas, aut formas ultrò sese, adaptabat; Dehinc Doctiores quosque, Sanctioresque circumspicere, eosdem velut exemplaria sibi statuere; cruci, velut incudi virgineam suam carnem imponere flagellorum ictibus domare, in undâ lacrimarum ex tenerrimè compuncto corde stillantium, Temperare; limâ studiorum instare, & continuò perpotire; ipsi Spiritui Paradysi lustrum conciliare, ac ne fortè defectuum rubigine macularetur, indefessè allaborare. In igne charitatis, amorisque divini flammis perpetuus hospes, tam ardebat insigniter, ut, velut ignitum ferrum, cui nonnullus adscripserat: *melioris consors naturæ*: ipse Ferrerius etiamnum in carne, purus videretur Spiritus: aut saltem quasi Angelorum, Cherubinorumque quin ipsius quoque Dei natura fuisset ab ipso participata.

7. Et putem ego, commodè dictum â me Cherubini: nam sicut in his scientiarum suspicimus plenitudinem ita magnam earundem in VINCENTIO deprehendere licuit Extensionem. *Inerat* ipsi (testibus, qui vitam ipsius scripserunt) *inerat* inquam, *grande, & acutum ingenium, tenax, indelebilisque memoria, & continua in studiis perseverantia.* Vtique dicere volent, ingenium Vincentio fuisse tam vastum, ut scientiarum universitatem comprehenderit; tam perspicax, ut in intimas scholarum difficultates penitùs penetraverit: memoriam dein tam promptam, tam tenacem, tam firmam, ut omnium, quas unquam vel semel conceperat, rerum species, in eiusdem ærarium collegerit, collectas inamissibiliter retinuerit: amorem erga studia tam fervidum, vel in fervore tam assiduum; ut ceu nonnullus foret Angelus, aut quædam intelligentia,

volvendo litterario Cœlo continuus, & citra fatigationem allaboraverit.

8. Hinc seu lectioni se dedat Dialecticæ, vel Phylosophiæ, non sui duntaxat habitûs religiosos, sed alios habet eiusdem Patriæ septuaginta, primæ Sphæræ litteratos, qui suspiciant ingenia sua demittant, honorem deferant tam raræ Phœnici: seu Theologiæ se studiis applicet in civitate Ilerda, & Barcellona, progressibus suis famam excitat tam gloriosam, ut Benedictus XIII. Summus Pontifex continere se non potuerit, quin eidem, datis propterea litteris Apostolicis, applauderet: seu rogatus ab Episcopo, civitatis Valentinæ, eiusdemque Capitulo, nodis se dedicet, sacræ scripturæ nimirùm ut enodet, ut explicet, ut dilucidet: per sex integros annos id eâ cum felicitate exequitur; ut numerus eorum, qui Vincentium frequentaverunt, iniri vix possit. Quòdque solidè quis miretur, est Vincentium omnibus quidem satisfecisse, satisfaciendo tamèn omnibus inexplebilem sitim reliquisse. Velut si bibissent ex fonte, cuius haustâ largius aquâ sitis omnino perimitur; saporis tamen, quâ fortè dotatur, singularitate, gustus itendidem irritatur. Quâ forte beatos in cœlo frui; universim inter rectè sentientes Theologos convenit. Unde, quemadmodum annum agens vigesimum primum, inter omnes quos urbs alebat Valentina, phylosophos & Theologos habebatur primus, ita tantam passim famam erat promeritus, ut eo modo, quo Dei Filius â Sancta salutatur Ecclesia: *tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus*: ita S. quoque Vincentius â populi proclamatus fuerit

l. ait. : 1. multitudine: *solus Sanctus, solus religiosus, solus doctus, solus Christi servus habebatur.*

9. Centum facilè referri possent argumenta, queîs, si modo necessum foret, perhiberi valeret Vincentij Sanctitas. Sed leonem ex ungue consideremus. Vnum tantumodo narremus, Vincentij factum, centum loco fu-

nu-

turum. Nactus est Vincentius, veluti dictum aliàs, â primis jam ætatis annis, formam tàm egregiam, tam venustam ut omnibus ipsum intuentibus amabilis redderetur. Cum annis crescentibus, crescebat etiam hæc, & denique eò emergebat, ut idem propè fuerit, intueri vultum Vincentij, ac vultum cuiusdam Paradysi. Misera forma, quantò magìs exacta, tantò quoque magìs insidiis Petita. Superi? fœmina quædam nobilioris sanguinis, ut solem hunc aspexit ignem intra viscera concepit, ignem scelestum, putidum, fœditate suâ quibuslibet honestis abominabilem; ignem â Puero Cupidine sufflaminatum. Quid ageret infelix? quo modo desideria placaret, extingueret incendia? pressus aliquandiu, frenante pudore, tandem erupit Æstus. Decretum, armis rem peragere, queîs & flectitur frequenter, & frangitur quævis etiam adamantina constantia: audaciâ, blanditiis, petulantiâ, vicariâ carnis ac illecebrarum ostentatione. Fingitur infirmitas corporis (nam anima pridem antè graviter languebat) vocatur Vincentius, rogatur, ægrotantem invisat, spirituali quodam solatio fulciat; veriùs ut Luxuriæ pestem per contagium intra præcordia trahat. Venit vocatus, ducitur in cubiculum, ubi decumbebat malè sana ægrota; iubetur eius abire famulatus, removentur arbitri, nihil negligitur eorum, quæ commoda videbantur ad hanc innocentiæ prædam occupandam. Poterat quandam cœli speciem referre cubiculum istud; ita munditie, pretiosâ supellectile, aulæis acu phrygiâ depictis, nitebant, radiabant, splendescebant omnia. Sed infernus aut stygium quoddam antrum fuit, propter horribilem, â quo inhabitabatur, Asmodæum. Cum sola solus ut erat, cœperatque jam propinquiùs ad lectum accedere, tum illa, simulans febris æstum (amoris infamis furor erat) se protinus erigere, culcitram removere, niveum pectoris candorem obiicere, deflagrans intus incendium innuere, nutibus oculorum impudentius ludere, impurissimis gemitibus, impu-

rissima suspiria iungere, eburnea brachia ad amplexus extendere, osculis ora accomodare, demum vincente petulantiâ frontem omnem deponere, libidinem fateri sacrilegum concubitum appetere, & innocentissimum agnellum ad infame adulterium sollicitare. O Vincenti? quid agis in his rerum articulis? in hac coniunctura, quâ periculosiorem experiri vix potest, hæc nostra lutea massa, misera humanitas. Lubricissimus sensus est, seipso declinat, & inclinat ad lapsum. Præcipitem aget occasio sponte nata, prompta, proxima. Qui videat, domesticorum nullus est; nullus qui sinistriùs cogitet, de hoc separato congressu. Ne temeritas quidem ipsa tam audax erit, ut mali aliquid suspicetur vel de illa fœmina, semper habitâ pro pudicâ. Vel de Vincentio, semper honorato pro Sancto. Cúmque nullis propè modis timendum sit, palàm factum iri delictum; absit, ut negligatur isthæc accasio; quanto rarior tanto quoque pretiosior. Concedatur aliquid iuventutis fervori: prœcipuè, cum salvus mansurus sit honor, salva existimatio salva fama eatur, quò vel fert, vel perpetuò fertur humanitatis propensio. Semper urgeri ad lapidem, & semel offendere, quis admiretur, quis ibit inficias? & hoc fortassis modo differere poterat sensus in Vincentio; non item rationis rectitudo. Etenim ab hac & animadversus, quòd virtus adversis triumphet; & perinde fuit admonitus, huius molestissimi assultûs tempus, etiam opportunum esse, quo victoriæ palmas coacervet. Quamobrem ut immanem hanc huius fœminæ repelleret impudentiam; ipse castâ recundiâ impleri, religioso horrore concuti, adversus stygias flammas vehementer accendi, tum efficaciter quoque protestari cœpit, quòd anima, perpetuæ castitatis voto obligata, nullatenus exolvere se possit, nec iuratum amorem â Creatore deflectere, & in creaturam transferre. Imputandum id iri extremæ stultitiæ, absolutæ fatuitati. Posthac exaggeratâ vehementer excessûs enormitate, ad quem

ab-

abduci se sinebat ; ac excitato verecundiæ rubore , fugâ se subduxit , totumque libidinosi attentati spem unâ confudit. Vbi meritò quis miretur , quòd immediatè fuit secutum ; nimirùm miseram illam , postquam sincerissimus Dei servus Deoque plenus Vincentius excesserat , ociùs ab immundis Spiritibus arreptam , obsessam , & inclementissimè fuisse cruciatam. Infortunata fœmina ! quorsum nefandæ te rapuit libidinis impetus ? agitasti quidem, ut Vincentium iniuriis afficeres ; veluti nova Megera sceleratam facem ; sed admodum magno malo tuo. Quandoquidem ipsa præda facta es inhumanis inferni Furiis. Tentâsti deturpare quendam Empyrei Angelum , & ipsa vicissim es effecta monstrorum infernalium domicilium ; artes adhibuisti malas , ut Sanctum â Dei distraheres obsequiis ; tuque ipsa miserè stygiis emancipata fuisti Spiritibus.

10. Cæterùm , quis ex vobis , Auscultatores , perpensis omnibus huiusce facti circumstantiis , non agnoscit Vincentij Virtutem aliis centum Heroibus æqualem , aut longè superiorem ? Etenim non , uti Samson , David , aut Salomon , visâ victus aut deiectus fuit pulchritudine ; verùm seipso fortior , superatis quæ sibi tendebantur , insidiis , insigni potitus est Victoriâ. Fugam equidem arripuit , sed non velut Iosephus , quasi timeret impudicitiæ contagium , sed , antequam fugeret , diu stetit , diu pugnam sustinuit , diu vocibus institit , doctis , Zelosis , incantativis ; vocibus , queîs & pessimam serpentem elusis & pestilentissimum venenum superavit. Nec Thomam æmulatus Angelicum , inimicum hostem arrepto titione abegit , quasi regere se non posset in illo satis lubrico periculo ; sed animum induens virilem , & oblatâ egregiè usus est occasione , & eandem glorioso nobilitavit certamine. Quocirca commodè Vincentio , paucis admodum mutatis applicari potest illud Poëtæ.

Ovid. 1. met. *Hic rigidas Silices Solidumve in pectore ferrum aut adamanta geret.*

Circum scilicet cor, non ex fragili carne; sed inflexibili lapide compactum; pectusque Christianis virtutibus tam magnanimè munitum; quasi seu ferri rigiditate, seu admantis duritie fuisset circumscriptum. Cui propterea non incongruè diceret DEUS: *ego dedi te hodie in columnam ferream, & murum areum*: quandoquidem & violentos assultus viriliter excepisti, & potentissimas alias catapultas infractè sustinuisti. Et quidni nobis in Vincentio repræsentemus illas turres, ferro, prout refertur à IOSEPHO Hebræo, illum in finem incrustatas, ut pondere magis redderentur stabiles, & duritiâ militaribus ignibus magis suppares: quandoquidem etiam Vincentius noster & voto castitatis firmiter permansit immobilis, ut resistentiæ constantiâ seu flammarum venerearum repulsu affatim incorruptibilis. Nihil agis hic detestabilis venus: *ferrum percutis* in Vincentio, sed *ferrum frigidum*: oleum perdis & operam: percuties quidem Ferrerium, impuris quidem suggestionibus incommodabis, at nunquam domabis, aut aliam, quàm verecundiæ formam affinges: etenim quantò ferventior est ad res quæ concernunt Spiritum; tantò frigidior in iis quæ pelliciunt sensualitatem. Pyranstam facilè dixisses, utpote quem ignis quidem involvit, voracitas tamen non attigit; aut Salamandram; quoniam & vitiosum ardorem sustinuit, & non minus heroicè extinxit: aut aquilam; quandoquidem inter trisulca cupidinis fulmina securè moratus, nec timorem admisit, nec offensam accepit: aut quidam Elias; quippe, qui cum inter igneos equos igneúmque currum seu quòd ad rhombum, inter ambientia veneris incendia virgineum conservavit florem, & omnimodam pectoris manu-tenuit integritatem; meritò dicturus cum Ecclesiastico: c. 51. 6. *& in medio ignis non sum æstuatus.*

Jerem. 1. 18.

11. Et verò, quòd hic ponè miremur, est, N. Dæmonum rabiem, quæ primitùs calcaris loco fuit, quo malè nata fœmina concitabatur ad culpam; dehinc flagelli, quo tormentabatur ad castigationem, continere se non potuisse, quin encomium Vincentio texerent, ac in huiusmodi voces erumperent: bono loco sumus; in mediis ignibus degimus, ebullientibus in hoc fœmineo sinu. Et quis est, qui nos eiiciat inde, quàm qui circumdatus ignibus, mordaces ignis evasit dentes? cùm comparuerit ignis domitor, fugati disparebimus. Mutare domicilium, illius sola coget præsentia, qui *in medio ignis positus uri non potuit.* Perceptæ quidem fuerunt â pluribus circumstantium ænigmaticæ hæ voces; sensus autem earum, intellectus â fermè nemine: nisi postquam ad miserè cruciatam ingressus Vincentius est. Tum enim infelices Spiritus denuò strepere, furere, vociferari: *En adest qui in medio ignis non est æstuatus; nunc igitur discedendum est*: dictoque citius nebularum adinstar, seu crassi fumi, erumpere & evadere, quasi mancipia tenebrarum, ferre non possent tam splendidi solis præsentiam. Et sic vicit Vincentius prævaluitque vitæ suæ puritate, contra sordidissimam abyssi turmam. Sic Ferrerius velut ferrum acutum & anceps non furit in corpora ut sanguinem fundat; sed contumaces configit Spiritus, ut torqueat; hic miles infatigabilis, pugnare discit, in secessu sic incurrere, sic superare potestates infernales; ut posthac vitæ puritatem doctrinæque altitudinem posset in apertum campum educere, cum iisdem adverso Marte congredi egregiis victoriis potiri.

12. Memoriæ traditur, Antiquas, siquando lunam videbant nigris maculis inductam, aut eclypsi sanguineâ inumbratam, ratos, id â præstigiis provenire, vel magicis incantamentis, certatim allaboràsse, ut eandem ad pristinam albedinem revocarent. Et quo putatis modo factum, id ab iisdem vel tentatum fuisse? N. Cæsarius edi-

edicet : *ferrum & æs pulsando tanquam è potestate egressam, per strepitum ab errore liberari putant*: vult dicere: Phanaticos illos, ferri laminas certatim percussisse, strepitum ingentem excitâsse, aërem peregrino rumore confudisse; quatenùs exinde vel ipsæ nubes, lunam circumvallantes, dissiparentur; vel ipsa luna, ut ab eiusmodi impedimentis se evolveret, admoneretur, ac, ut pristinum decorem rursus indueret, iuvaretur. Et quidni dicerem, Phanaticos? quandoquidem utique stultitiæ proximum, illius opinionis esse: ferri strepitum ad Planetarum sphæras posse pertingere; iisdem auxilium adferre, defectus, siquidem incurissent, emendare. Verùm enim verò quanto rectiùs idipsum effecit, Ferrerius noster! siquidem & ipse Ferrum pulsavit, strepitum excivit, aërem sono replevit: sono nempè sermonum, quos ad populum habuit; sono exhortationum, queîs sceleratis quibuslibet sanam mentem restituere studuit; sono sacrarum concionum, queîs errorum maculas, queîs passim miserè languebatur, extergere sategit.

Dial 3.

13. Postquam supremus Ecclesiæ Pastor Benedictus XIII. animadvertisset, Vincentium duos Episcopatus, Valentiæ scilicet & Ilerdæ, tum sacram quoque purpuram sœpius benigniter oblatam, recusâsse; reputans secum, Dei famulum fortassis tam laboribus Apostolicis addictum, quàm honoribus adversum; statuit ipsum, in vastas cùm Hispanniæ, tum Franciæ provincias mittere, ut animarum lucro intenderet, errorum tenebras disiiceret, peccatoribus pœnitentiam suaderet, animis vicissim salutem procuraret. Quod & factum deinceps, additâ Vincentio facultate absolvendi solvendíque amplissima: ceu legato Sacræ sedis Apostolicæ speciali. Et quid tum, perceptâ scilicet Pontificis mente noster Ferrerius? animo iucundari, mandatum hilariter acceptare, difficili licèt oneri se accingere; velut Empedocles, qui Semper *ferreo calceo incedebat*, ferrea calceamenta prospicere; propiùs loquor: ceu pedes haberet aut ferreos

Alexand. l. 5. genial. c. 18.

reos aut pedibus Dei similes: *pedes eius similes aurichalco.* Apocal. 1. n. 15.
Ceu pedes, inquam, haberet aut ferreos, aut auricalchinos fortissimos, & omnibus laboribus suppares, iter generosè aggredi, passus giganteos facere, in regna Valentiæ, Aragoniæ, Navarræ, veteris, novæque Castiliæ, tum nobilem Cataloniæ principatum penetrare, fervorem Apostolicum ubique circumferre, velut Patrem Spiritualem cum suavissimo Zelo se gerere, vitamque, quam in illis provinciis hauserat, denuo restituere, at pro corporali, Spiritualem impertiri. Hinc progressus in Franciam, Galliam Narbonensem, Allabroges, Normandiam, Galliam Belgicam, Aquitaniam Britanniam, bellicosos illos Populos armis instruxit, armis veræ fidei, armis militiæ Christianæ. Posthac in Artesiam Flandriam, Brabantiam, inferiorem quoque Germaniam delatus, incolas illos aliàs mari jam vicinos, in mare penitùs præcipitavit, Sancti doloris, salutiferæ pœnitudinis sinceræ contritionis. Hinc necdum satur laborum sed quietis omnis impatiens, in Sabaudiam, Pedemontium, Lombardiam conversus, ubique studuit, in Oris præsertim Genuensibus, verbi Dei semen dispergere, & Paradysi fructus colligere. Verùm abhinc, cùm Ioannis, Hispanniæ regis ardentissimis instantiis revocatus, tum Henrici regis Angliæ precibus expetitur in Maioricam, Minoricam, Angliam, Scotiam, Irlandiam commigravit: & denuò revisens Hispanias, & Gallias longissimum iter eo confecit vigore, molestias illâ sustinuit patientiâ, viarum asperitates, eâ superavit magnanimitate, ut cogitari facilè potuerit, Ferrerium pedes habuisse, non ex carne, vel ossibus, sed ferro & auricalcho coagmentatos; quibus non male deferas oraculum ad honorem Tribûs Aser â magno Moyse formatum: *Ferrum & æs calceamentum eius.* Deut. 33. 25.

14. Et verò dum hæc agebat VINCENTIVS, dum animarum impensè zelabatur salutem, dum eiusdem quærendæ studio hinc inde rotabatur, dici vix potest, quan-

tam ubique sui existimationem accenderit. Vix ullus erat populus, vix natio, vix ætas, sexus, aut hominum ulla sors, quæ non admodum anhelaverit videre Vincentium aut in Vincentio, naturæ prodigium, gratiæ miraculum, vel immortalis Dei qualificatissimum instrumentum. Quid? quòd & Magistratus cum subditis, Episcopi cum Clero, Prœlati pariter ac nobiles; quin & Monarchæ coronataque capita, sæpius adventum exspectare non valentes obviam ultro processerint, adductis superciliis obstupescentes: quo demum modo possibile, foret, Vincentium continuò stationem mutare, tot tamque dissita regna pedestrem decurrere, stantibus perpetuis ieiuniis, tamen susceptis laboribus sufficere; cùm sæpius in sudores penè difflueret, non plus tamen, quàm bis aut demum ter sitis ardorem aquâ temperare: quî fieri posset, ut homo cum esset, è tenera massa conflatus, in vigilantia tamen cùm cœlo contenderet quinque tantum horas naturæ, pro quiete concederet, residuum vel precum recitatione, vel in sacræ scripturæ studio consumeret; quo modo Filius & hæres Adami, dubio procul impressum insatiabilis dominandi desiderij characterem secum deferens, divitias sperneret, commoditates odisset, oblatas sæpius dignitates constanter reiiceret: quo demum modo durare posset ipsius misera humanitas, ad annum septuagesimum jam provecta; quomodo subsistere, in continuis locorum mutationibus, clymatum differentiis, maris traiectionibus, inde natis stomachi læsionibus, prædicationis occupationibus, aliisque pluribus peregrinationis incommodis, quin fatisceret, vires amitteret, vela contraheret, animum desponderet. Verùm non plus habebant oculi, quod obstupescerent, quàm aures, quod attonitæ perciperent; factæ theatrum admirationis, audiendo, quòd in Vincentio reperiantur: *lingua centum, oraque centum ferrea vox.* Erat Vincentio vox rotundè versatilis, ad nutum prompta, flexibilis, quoque vellet modo, exactè obediens:

Vox

Vox tam comminùs, quàm eminùs in longissima distantia æqualiter audita, & percepta; vox verè Apostolica, seu renovans Apostolica miracula: siquidem in uno solo idiomate, Valentino scilicet, articulata, & tamen ab omnibus passim nationibus Græcis, Germanis, Sardis, Hungaris, Ægyptiis, viris, fœminis, senibus, Pueris, litteratis pariter & idiotis, plenè distincteque intellecta: Vox, quam meritò dixeris tubam Spiritûs Sancti, organum sapientiæ infinitæ, fistulam divinitatis, incantatricem affectuum, dominam cordium, triumphatricem animarum: quodque summè mireris, vox, quæ nunquam Evangelici verbi sparsit semen, quin non uberem Christianarum virtutum colligeret messem. Prædicabat Vincentius, & toto quidem corde; hinc cordibus ipsis Vincientium catenarum iniecit vincula. Prædicabat Vincentius, & quoniam totus erat Spiritus totus Sanctitas; ita vicissim in auscultantibus & viam planabat Spiritûs, & desiderium accendebat Sanctitatis. Prædicabat Vincentius, & quoniam Sancto totus ardebat amore, Dei plenus erat timore; ita pariter adstantes divno adimplebat timore, religiosa concutiebat trepidatione. Prædicabat Vincentius, & associans vehementiam energiæ, moderationi discretionem, quosvis domabat contumaces, solabatur timidos, reficiebat pusillanimes; cùmque è lacrimis, quas tam his, quàm illis expresserat, contractas peccatoribus lavabat maculas, scelerum expunxit sordes. Hinc nulla propè fuit civitas, in quâ cum linguâ suâ, velut cum Alexandri gladio non inciderit gordios discordiarum nodos; nulla concio, in qua, velut alter Elisœus, non extraxerit ex veterni fundo libidinosos, in vituperosissima turpitudinis abysso, veluti ferrum in imo luto, mersos & inglutinatos: nullus discursus, in quo Sacra hæc, benedictaque lingua, velut vicaria Moysis virga, duriora lapidibus corda non commoverit ex commotis, flumina lacrimarum non exciverit. Suadæ Vincentij concessum passim erat, ut prostitutissimæ

tutiſſimæ quæque infamibus lupanaribus valedixerint ; facultatibus abundantes, velut ſacri Biantes, divitias ſuas, in pauperum ſinum, velut in procelloſum mare proiecerint ; nobiliſſimæ fœminæ, erga illecebras, quarum aliàs avidus eſt ſexus iſte, ſacrum odium conceperint, ablatas reiecerint; hinc ceu pretioſæ margaritæ, è mundo tanquam è pelago emerſæ, in religioſa clauſtra ſe receperint, atque in iiſdem futuræ felicitati ſerio proſpexerint. Ac ut paucis plurima complectar, exaltante vocem ſuam Vincentio, graviſſimis ſceleribus impliciti, ſuam miſeriam agnoſcere, commiſſorum pœnitudinem concipere ; dehinc eadem ad ſacrum tribunal deferrre, velut hauſtum venenum per accuſationem evomere ; tum pænam â ſemetipſis repetere ; dorſa flagellis concidere ; flagellationes cum gemitibus, tum amaris lacrimis intercipere ; demum animos de novo reſumere præterita animitùs deteſtari, erga ſtygios hoſtes infenſiſſimè affici, iiſdem ſeria bella indicere, hominibus pariter ac Angelis iucundiſſimum ſpectaculum exhibere

15. Et verò quid ? quis, qualis, quantuſve fuerit Vincentius, cuius eloquentiæ, cuius Sanctitatis, poſthac ego ſuperſedebo dicere. Dicent meo nomine officinæ, ſcholæ, tribunalia. Officinæ, horis illis, quando prædicabat Vincentius, ſerratæ, ſuiſque laboratoribus deſtitutæ : ſcholæ, quoddam in deſertum commutatæ ; *Diſcipulis ſimul & Magiſtris*, ut Vincentium audirent, indiſcriminatim occupatis : Tribunalia ; ſeu penitus neglectæ, ſeu contemptim frequentata ; quando nempè citabatur â perorante Vincentio ; quorſum ; ad omnis ſinceritatis forum ad impartialem conſcientiæ inſpectionem, ad omnium delictorum infallibile protocollum. Dicent non minus Reges, Martinus & Ferdinandus, Arragoniæ ; Ioannes Caſtiliæ ; Henricus angliæ ; imo & Machoma Granatæ : quibus omnibus complacitum, Vincentium inſtantiſſimis precibus ad aulas ſuas invitare, regias frontes eiuſdem diſcurſibus in-

inflectere, finem nullum, ipsum reverendi, colendique reperire. Dicet demum frequentissimus ille populus, qui subin ad numerum decem millium accedens, sequebatur Vincentium; aut longè maior ille, millium scilicet octoginta, qui diversis è partibus undequaque convenerant, tam ut Vincentij conciones audirent, quàm etiam, ut tanti concursûs frequentiam attoniti spectarent.

16. Et quidni liberè fateamur adimpletum hîc Apocaliptici Registratoris prædicationem: *qui vicerit, & qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes; & reget eas in Virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur*? quandoquidem Vincentius, seu passus à victoriis, seu victorias à passibus numerans: mundum, carnem, sensum, infernum plenissimè devicit, ac suam in potestatem redegit. Ille nempè Vincentius, qui, quòd cum omni diligentia DEI leges exactè Zelatus sit, dignus quoque redditus fuit, ut cum linguæ suæ vigore, veluti cum linguâ ferreâ cordium posset duritiem frangere, vasa testacea in ferrea commutare, ope divinæ virtutis tantam iisdem soliditatem conferre, ut nullis posthac Dæmonum cederent assultibus, nullis pravarum consuetudinum inclinationibus, nullis vitiorum illecebris, nullis quarumvis tentationum allectamentis. Atque hîc non de paucis, uno vel decem, sed de quadraginta sacrilegorum, usurariorum, latronum, assassinorum, lenonum millibus loquor, scandalosâ nempè mundi fæce, vitiorum fermento, inferni farraginato papulo; qui omnes Vincentij suadâ persuasi, posita harpyarum monstrositate, in candidissimos agnellos fuerunt transmutati. Loquor insuper de quinque supra viginti Iudæorum millibus, qui emollitâ cordium contumaci duritie obsequia sua IEsu Nazareno humilitèr devoverunt. Loquor non minus de Saracenorum octo propemodum millibus, qui sacrilegas suas detestando Moscheas, in Ecclesiæ Catholicæ Templis veram Fidem amplexati sunt, & ad vitæ ve-

Apocal. 2. 27.

 ri-

ritatem gloriosè renati. Loquor in compendio, de centum & pluribus etiam millibus, variis vitiorum abominationibus stygmosis aut defœdatis, pariter â portentoso Vincentio ad pœnitentiam illectis, & conductis: nam si singulos, aut singula singulariter prosequi deberem, mirabilia nempe, queîs sceleratorum affectus occupavit & emendationem obtinuit, vix mensis, aut etiam menses sufficerent; contendentibus universim historicis, quòd *ferè infiniti operis laborem pro sui descriptione postularent*: Hinc eadem & ego quoniam pro dignitate nec referre, nec celebrare valeo, attonito silentio involvo. Interim illud satis agnosco, Vincentium, suum â ferro cognomen, iure merito mutuâsse. Etenim & illius laboriosa merita & huius mechanici usus eleganti paralelâ conformantur. Ferrum seu aciei in falce, seu dentium in occa, seu vomeris in aratro, formam nactum, *evertit & æquat*: rumpit callosas glebas, malas evellit radices, applanat terram, & ad copiosam messem disponit: Et Ferrerius quid? & ipse evertit & evellit, vitiorum nempè radices, defectuum Spinas, errorum sentes; distortas peccatorum complanat vias, & eosdem ad ferendos salutis fructus nervosè conducit. Mundus si modò fidem adhibere placet, cuidam Politico, & acquiritur, & regitur *ferro & auro*: Ferro quoque Ferrerius & auro mundi huius contumaciam fregit, reluctantiam vicit, & cùm DEI, tùm virtutis obsequiis subiecit: auro nempè suæ sapientiæ, & ferro longanimitatis. *Ferrum*, uti pridem doctum â Daniele, *comminuit & domat omnia*. Et Ferreus Ferrerius; nec ulla fuit tam pertinax voluntas, quam non moverit; nec cordis durities, quam non emolliverit; nec animæ sceleribus deditæ obstinatio, quam non flexerit, domuerit, superaverit. *omnis in ferro salus*, olim pro symbolo fuit Antonino Caracallæ; omnis etiam in Ferrerio quàm plurimis ægrotis, & aliàs malè habentibus: quippe quibus non animæ duntaxat salutem contulit, sed & corporis Sa-

Daniel. c. 2, 40.

Sanitatem, plus quàm octingentorum miraculorum patrator, & eorundem in diversissimis modis distributor. Et quidni concipiamus in Vincentio, renovatum totâ Hispanniâ celebre simulacrum, ab Alcone, non infimæ notæ sculptore, Thebis erectum? referebat hoc Herculem, totum ex solido ferro fusum & elaboratum: atque ideo quidem ex solido ferro, ut in huius metalli firmitate præfati Herois cùm invincibilis patientia, tum constans etiam in omnibus adversitatibus fortitudo ad vivum conspici posset repræsentata. *Extat Thebis ferreus Hercules quem fecit Alcon* narrante Plinio, *laborum Dei patientiâ inductus*: quandoquidem in ipso Ferrerio quendam contueor Herculem, & Herculem ferreum, ad miraculum usque patientem & fortem, in omnibus mundi assultibus insuperabilem, omnibus monstrorum quæ tandem unquam emittere poterat infuriatus infernus, molestiis superiorem, semper impavidum, semper invincibilem, propter ubivis relicta suæ fortitudinis vestigia penitus incomparabilem. Cæterùm si ferro, dum in crucibulo fluit, pulvis adiiciatur, aliás *lapis Phylosophorum* nominatus; in nobiliorem abit substantiam, in pondere sumit incrementum, aquirit flauedinem, & ipsius induit auri pretiositatem. Pariter Vincentius quem ex solido ferro constare vobis hactenus ostendi, dum in ardentissima liquatur febri, & mortis aspergitur pulvere, & ipse pristinam corporis mutat compagem, mortalem exuit substantiam, & auri adipiscitur nobilitatem: in cœli deinceps translatus Ærarium, & illam illatus in Patriam, quam Apocalipticus Propheta *aurum mundum* nominat: ubi etiamnum inter beata tripudiat lumina, & ipso luminum suavissimè fruitur Patre. Atque adeò Vincentius, mundi victor, è mundo dimissus, ibi superiùs suorum modò colligit sudorum prœmia, laborum mercedem, atque debitos factis suis, citra dubium heroicis, triumphos: Ille Vincentius, qui Deum continuò sitiens, & aridis præ siti labris vix aquæ refrigerium concedens; jam

Plin: l. 34.

ad ipsos venit divinitatis fontes, torrentesque gaudiorum, quæ cæli subministrant; ut in iisdem ora non proluat duntaxat, sed plena libertate immergat: Ille Vincentius, qui finem nullum faciens in innocentis sui corporis exuvias sævire, easdem flagellis proscindere, aut aliàs quomodolibet divexare; veluti ferrum ad omnimodam perfectionem deductum, modò splendet, & in beatitudinis regno gloriosè fulgurat: Ille Vincentius qui quaslibet ab ipsa opulentiâ oblatas divitias generosè reiiciens, ad beatorum ascendit aulam, & suam inter stellas gloriæ diffundit lucem: Ille Vincentius, qui ex profundæ humilitatis plenitudine, purpuras, tiarasque contemnens, nunc comparet *amictus lumine sicut vestimento*: recipitque coronam, non ab hominum manu ferream, sed â Dei dextera *coronam de lapide pretiosa*.

Psal. 103. 2.

Psal. 20. 4.

17. Sed enim, vos, N: qui Vincentij suspicitis actiones, admiramini virtutes, reveremini gloriam, modò vestram eò disponite devotionem. Siquidem si quondam Spartani *ferreos nummos habebant*, eorundemque beneficio, quibusvis, queîs urgebantur, humanis indigentiis prospiciebant; rursus, si velut jam dixi *omnis in ferro salus*, omnis obtinetur & retinetur felicitas; quidni vos quoque N cùm ad Ferrerium recurretis, eiusdem protectionem sollicitabitis, imitationem intendetis, capaces reddamini, in quos, qualescunque demum desiderata prosperitas seu temperanea, seu æternâ corporum vestrorum aut animarum conferatur, & plena manu dispensetur?

Theat. liberalitas. 106. 2.

18. Somniavit olim Guntramus Burgundiæ Rex ferreum pontem se transiisse, & in opposita ripa suberbissimum Thesaurum reperisse. Nec inane somnium fuit. Etenim quod dormienti repræsentatum fuit, posthac vigilanti reipsa obvenit. Et quorsum ego hæc memoro, nisi quòd, cùm Ferrerius hinc â terrâ conscendens in cælum, ex semetipso ferreum formaverit pontem; si vos Ferrerij cal-

calcaveritis ſemitam, premetis veſtigia, ſequemini exempla, adhærebitis protectioni, pariter & vobis optatiſſima ſit obventura ſors, reperiendi ſcilcicet hîc in terrâ, ſanitatis, incolumitatis ac felicitatis opulentiam; illic autem ſupra, quondam obtinendi illorum theſaurorum poſſeſſionem, qui nullis unquam ſæculis amitti poterunt, aut per ullam eripi deprædationem.

Lectio Academica.

VIRTUTIS VIRES AB OTIO RESTAURARI.

LOngis, & ab ipſa jam antiquitate ſuſceptis traditionibus edocemur, N. Pegaſum, illum ſcilicet à famâ tam celebratum; quondam inſtructis ritè, firmatiſque Pennis ſuper acclives Heliconis rupes, quæ plus cæteris ſe nubibus inſinuant, aſcendiſſe, inibique vagum aliquamdiu volatum interrupiſſe. Vbi deinceps, cùm ungula repetitis ictibus terram percuſſiſſet, fons erupit, in cryſtallinos rivulos elegantiſſimè diffluens: quem poſthac Hypocrenem, ſeu fontem equinum appellatum, eruditorum pennæ miris laudibus extulerunt. Præ reliquis autem in amoribus eſſe cœpit ſtupendus iſte fons, Muſis & cygnis. Neque facilè quis decreverit, iucundiorne fuerit iubilus, quo propè decurrentium rivulorum delitias, ſolvebantur Muſæ: vel dulcior har-

harmonia ; quâ cœlum replevêre , natantes in margine cygni. Et verò , si sensum sub huius figmenti cortice latitantem scrutari velimus, illum utique reperiemus, quòd nobili prosapiâ genitis, vel maximè conveniant , Hippocrenes delitiæ litteratæ. Aperuit aquarum istarum scaturiginem equus , animal bellicis officiis , natum , ut simul appareret, ausuum bellicorum , terminum esse debere oblectamenta Musarum. Evocavit fontem hunc Pegasus & evocavit firmatis in saxeâ mole pedibus , ut inde demonstraretur , quòd Spiritus generosi ignem in venis , ventum in pedibus gerentes , non tam debeant aggredi sublimia , tractare laboriosa , plenoque volatu cum ad gloriæ , tum meritorum quoque apicem contendere ; quàm subinde , suis intervallis , virtuoso volatui frænum iniicere rapidum pedum cursum sistere , otio negotia interpolare , ac fructuosæ requiei dulcedini indulgere. Atque hoc quidem vel iudicium, vel opinionem , nisi fortè vehementer fallor , cùm ab universali vestro Domini Academici , symbolo edocemur ; tum etiam â Lyrico Venosensi , qui litteratos labores in pyramide figurare , aut exprimere solitus , sub quorundam librorum suorum finem gloriatur :

Exegi monumentum ære perennius ,
Regalique situ pyramidum altius.

Hinc utique ductâ similitudinis habitudine, quòd sicut Pyramidis altitudo supra quadratam basin stabilitur , ita quæ Spiritibus abundant , acumine præcellunt , aliisque ad litteraturam natis dotibus eminent , ingenia , concessâ subinde quiete,otijque respiratione, velut in sustentante basi conserventur. Porrò cum octo circiter dies jam sint , quo hanc mihi provinciam iniungere vobis benevolè complacuit , ut assertum eam , ingenia vigorem ab otio mutuare ; vitatis ambagibus ad debiti exolutionem me accingo : & eò quidem promptiùs , quo convenientius esse iudico eum, differere de quiete , & â laboribus cessatione , cui res curta

do-

domi, ingenium tardum, aut minùs expeditum. Itaque de suadendâ quiete, mea inpræsens occupabitur oratio; id tamen simul diligenter observaturus, ut, ubi cæteri, qui de eodem argumento hactenus ante me sermocinati sunt; discursus suos tanto cum acumine, tantaque cum subtilitate exegerunt, ut ipsas videri possent, velut pyramides velle stellas ferire: ego cùm cognominis, tum talentorum quoque ratione parvulus, nunquam discedam â base: firmâ nihilominus spe fretus; dandam â vobis veniam conceptuum meorum humilitati, quando pro rei exigentia circa depressam basin erunt occupati.

2. Inter omnia, quæ quidem subtus lunam existunt, entia penitus nullum arbitror esse, quòd subinde non affectet, quiete refocillari; hæc enim rerum, quòd laboriosis illis sphærarum circulis subiaceant, conditio est, ut quandoque deficiant, langueant, ac perinde qua vigorem resumant; quietis tranquillitate indigeant. Ita campi, postquam accepta sementa in auream produxerunt messem vigore videntur exhausti, & omninò destituti: qui tamen posthac iterum egregiè resumitur postquam feriatio quædam indulgetur. Similiter & quadrupedia, quæ vel in terræ cultura, vel in ovilium custodia, vel in itinerum protractione, vel in laboriosa bellicorum servitiorum frequentiâ suas consumpserunt vires, otij somnique beneficio denuò resarciunt, quòd iniuriâ necessitatis amiserunt. Quin & ipse non minùs humanus animus, licèt indole suâ extra mortalitatis limites constitutus, corporis, cui coniungitur, lassitudinem participat; dumque præterea curis, seu domesticis familiæ, seu civilibus Patriæ, publicorumque negotiorum executione fatigatur; scientiarum item artiumque speculatione, anxioque peritiæ desiderio atteritur, certiùs, citiùsque lenimen aliquod non consequitur, quàm si in otij amplexus se recipi patiatur. Hinc Plato solitus erat dicere: *hostem esse disciplinarum, defatigationem.* Cui consensus accedit

L. 7. de Legib.

Pe-

Peripatetici, iudicantis, vitam citra quietem & iocum diu non posse proferri: *Requies sanè & iocus in vita esse necessaria videntur*: & alibi; *cum nequeant homines assiduè operari requie indigent.* Hinc quilibet prudens â Plutarcho monetur, *ut otio & quieti indulgeat*: *siquidem velis ad præclaras & honestas actiones afferre corpus.*

4 Eth. 8: l. 10. c. 6.

lib de va'etud tuenda

3. Cæterùm cum de otio mihi Sermo est, illud nullatenus intellectum velim, quod matrem agnoscit acediam, quod desidiosa quadam malignitate aminos inficit, segnitie soporat, pigritiâ corrumpit: non illud, quod rivales suos in quædam cadavera commutat, vitiorum putredine involvit ad vermes remorsuum condamnat; non illud, quod vel in morbidis plumis somnolentum, vel in lautis mensis saginatum, execrabiles excessus progenerat; non illud, quad seditiosos in exercitibus tumultus disseminat, libidinosa in cordibus incendia suscitat, virilem in fortibus vigorem enervat: non illud cuius vitioso fermento tersa cassidum ensiumque politura obducitur rubigine; aëris læta serenitas fœcum turbatur vaporatione; crystalinus aquarum liquor memphitico vitiatur putore; venusta hortorum amœnitas tribulis invaditur, virgultis obruitur, demum in horridum quoddam desertum deformatur. Verùm illud â me nunc otium intenditur, quod cum illustribus quibuslibet operibus, claritudine, meritoque contendit; illud, *non quo evanescit virtus*, disserente Valerio Maximo, *sed quo recreatur*; illud, quod â grandibus animis cum cauta prudentiæ distinctione, subin arripitur; *ut tempestiva laboris remissione.* (verba sunt modò memorati valerij) *ad laborandum fiant vegetiores*: illud, quod languido corpori fractoque laboribus animo subvenit, vires velut aurum potabile recreat, novumque vitæ alimentum subministrat: de quo Poëta:

l. 2. c. 8.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis.

Ovid. 1. pont Eleg 5.

Illud demum, quòd follis adinstar sopitas in virtuti-

tutibus scintillas suscitat, iisdem Spirituum vivacitatem influit, ad egregia patranda stimulos cudit : quod cantatum â Statio :

vires instigat, alitque l. 4 Silv.
Tempestiva quies; maior post otia virtus.

4. Atque hæ quidem sententiæ dubio procul mererentur, ut basi nostræ palmaribus characteribus insculperentur; quibus nihilominus Hieroglyphicum adiungetur ab Vlisse Aldrovando regristratum; serviturum pro valido Achille, ad argumenti, quod probari cœptum, evictionem. Atque rogare quidem â vobis licitum mihi sit, cuius mentis aut opinionis essetis, aut quid censeretis de Aquila, in situ sedendi otiandique figurata? quid putaretis, cum eâdem taliter compositâ, ab eruditis velle significari? ignaviam? desidam? cædem; iacturam, aut aliquod aliud infortunium? non equidem, N. sed potius ausuum heroicorum symbolum; cum matura consultatione, prudentique conatu, ad finem gloriosè deductorum. Ita Semper ab antiquis olim Auspicibus iudicatum; ita pariter â docto cuius modò meminimus, Aldrovando. Sed enim si Sessio grandibus operibus emphasin addit & energiam, quid prohibet, quin eadem aquilis imperetur acutis & perspicacibus; Aquilis Dominorum Accademicorum : ut deinceps ad egregios virtutum conatus accincti, titulo *laboriosorum*, titulum adiungatis gloriosorum, prodigiosorum, & immortalium. l. 1. Ornith.

5. Et verò, quoniam in Autumni sumus principio, & ab ipsa temporis habitudine venationis admonemur, aut ad eandem invitamur; licitum utique fuerit, ut quendam canibus intuitum impertiamur. Atque si vestrum quisquam N. vivacem quendam venaticum, collectis adinvicem pedibus, iacentem, in terra cum ventre protensum, otio, quietique vacantem conspiceret, interpellaretque: quid tu hic equidem, quid rerum agis generose? tu qui

 den-

dentium tuorum ebur Sanguinis purpurâ sæpiùs intingis? tu, qui in emaciatis & in arcum quendam incurvatis costis armamentarium quoddam circumfers, quo feras sagittes? tu qui cursum præcipitando, quoddam evadis animatum telum, nemorum fulmen, quid iaces hic deses, quid pigrè stertis, quid inertiâ consumeris? quam creditis obtenturum â taliter interpellato responsionem? quam? *otior, ut ocyor.* Aliquam membris meis indulgeo quietem, ut eadem ad novum disponam laborem: ab otio spero fieri velocior: ipse me conieci in terram, ut velut Anteus virium renovem vigorem: ut fortior dehinc meum & aggrediar & prosequar inimicum. *Remissiones enim*, perhibente Dione, *ad novos labores preparant.* Rursus, si præter eiusmodi canem alibi conspectui se offerret equus, generosis Spiritibus fumans, nobili ferociâ fervens, sanguinis vivacitate luxurians, ventum in pedibus, scintillas in oculis, fumum in naribus, ostentans; intectus ephippio, phalerisque concinnè instructus; fræno tamen remissè pendente liberè sese circumferens, non quidem in pulverulenti Martis campo, sed in herbosi prati amœnitate; dubio procul & curiositati & admirationi satisfieret â lemmate: *otio vigorem excitat.* Quo scilicet insinuaretur, hanc ideo duntaxat concedi respirationem brevemque virides illas inter delitias moram & usum, ut vel lassas antecedenter, vel saltem torpidas corporis facultates, intenderet, easque rursus hac methodo disponeret, cùm ad martialium tumultuum tolerantiam, tum ad bellicorum conatuum evictionem.

Stob. serm. 62.

6. Cæterùm cùm in industrioso pariterque sagaci cane, diligens communiter repræsentari consueverit, & virtutis, & sapientiæ vestigator; in equo dein animus nobilis, generosus, virtuosè se gerendi percupidus; quid utriusque mentione hactenus â me factâ innuere, vobis velim, ab ipsis vobis jam intelligi, deprehendique nullus dubitaverim: nimirùm litteratis quoque & animis generosorum

rum

rum actuum gloriam anhelosè persequentibus suam, concedi debere requiem, suam fatigationum interruptionem suum solatium, suam in villis rusticam moram, non quidem, ut eiusmodi grandium litterarius vigor inter vindemiarum otia relaxatione sopiatur; verùm ut ipsis feriis quasi feriatur, excitetur, & ad egregiorum, factorum æmulationem fortiùs stimuletur. *Excitatur enim otio vigor*, docente Marco seneca *& omnis tristitia quæ continuatione pertinacis study adducitur, feriarum hilaritate discutitur.* *Proem. contro-vers.*

7. Atque huius quidem veritatis perspectione, celebriores quæque Personæ, quæ monumentis historiarum insigniuntur, persuaderi se passæ sunt, ut, quatenus heroicarum actionum tenorem constanter continuarent, easdem quæsito studio interrumperent, otio discingerent, honestis oblectamentis interpolarent; Ita Romanorum nobilissimi, Scipio, Leliusque, quoniam animi candore meritorumque pretio, margaritas portabant in Sinu, quandoque fallendo tempori, prope maris littus eiecta colligere solebant conchylia. Quin eundem Scipio pedem, quo tremorem incussit provinciis, genialibus subinde, festivisque exercuit choreis, *Scipio triumphale illud & militare corpus movit ad numeros.* Octavianus Augustus, ille nempe, qui per decem continua lustra mundi vastum sustinuit globum, certas & ad id destinatas horas Pilâ decipere consuevit, aëre infarta, & ad subsultationes concitata. Socrates item & Agesilaus, ille sapientiæ sublimitate, hic militaris disciplinæ peritiâ famosissimi, teneræ ætatis Pueris nonnunquam se miscere, eorum infantilia studia imitari cannisque, vel arundinibus inequitare, non erubuerunt. Etiam terribile belli fulmen, Achilles, vicissitudines adamavit; nunc obrutas barbarorum Phalanges stricto gladio dissipando; nunc domesticorum suorum corda, cytharæ pulsatione demulcendo: *militare robur leni pacis studio ralexabat.* Minor quoque Plinius, quantumvis â censuris continuo lacessitus, animum aliàs Semper

Valer. mag l. 8. c. 8.

Senec. de tranquil. lit. c. 6.

Valer. max. l. cit.

collectum, distraxisse gloriatus est, versuum iocosorum compositione, argutarum comædiarum structurâ, ridicularum personarum in theatris intuitu, ludorum, facetiarum, iocorumque succedaneâ admissione: *Facio nonnunquam* (loquitur Plinius) *versiculos severos parum; facio comædias & audio & specto mimos. Aliquando præterea rideo, iocor, ludo*; Posset hic adiungi Gregorius quidam Nazianzenus, qui cùm devotarum contemplationum rigorem, tum seriam studiorum assiduitatem intercipere solebat, frequentatis propè mare deambulationibus; quidam Antonius Abbas, *Sanctitatis in Ægypto monstrum*; qui solitarius quidem, at non semper solus, inter umbrosos sylvarum recessus, iucundam cum suis monachis, innocentemque capiebat delectationem: quidam Augustinus, qui hicce locorum, Mediolani nempè docens Rhetoricam, Tempore Vindemiarum ad umbram plantarum residens, Spiritum refocillabat, ingeniosis studiis delibutum. Quid? quòd & ipsum DEI Verbum, dum in hac mortali morabatur carne, nunc longo *fatigatus ex itinere* licet ex divinæ virtutis consortio facilem admodum ac opportunam sumere potuisset virium refectionem, maluerit tamen ad arginem fontis sedendo, languentem recreare humanitatem: nunc Apostolos, Evangelicis laboribus fractos invitaverit, ad solitarium secessum, & iucundam in eodem respirationem: *venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum*: nunc eosdem adhortans ad vigiliarum nocturnarum incommoda, orationumque prolixitatem: *Vigilate & orate*: ut harum virtutum facilitaret exercitium; iisdem statim proposuerit quietem & somnum: *dormite jam, & requiescite.* Ut proin infallibilis Poëtæ Sulmonensis sententiæ accedat authoritas:

Quod caret alterna requie durabile non est;
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

S. Hinc multa cum ratione Plutarchus invehitur in illos Patres, qui filiis suis nullam penitus permittunt re-

Marginalia: *li.5. Ep 3.* (beside "rumque succedaneâ"); *Joan. 4. 6.* (beside "fatigatus ex itinere"); *Marc. 6. 31.* (beside "cundam in eodem"); *Matth. 26. 41.* (beside "que prolixitatem"); *Ovid ep. 4.* (beside "Quod caret"); *Hermm.* (beside "S. Hinc multa").

relaxationem ; eoſdemque carpit, velut indiſcretos, & vitricâ acerbitate depravatos ; quod nempè liberos libertati genitos, tam arctè circumdent, ceu captivitati obnoxios habeant, ſervilibus catenis innodent ſeu ſtudiorum etiam odioſorum aſſiduitati violenter adiudicent. Et quid denique cogitatur â vobis, malè cautis, & á vera prudentia derelictis ? meminiſſe deberetis, quòd omnium litteratorum Numen quantumvis aliàs infatigabile.

Neque Semper arcum
tendit Apollo. *Horat. l. 2. od. 10*

Deberetis etiam animadvertere, quòd Alcides genuinum heroicæ virtutis ſymbolum non ſemper in acie ſtet, confligendo cum monſtris ; ſed quandoque etiam nervoſas manus genis, clavæ robuſta brachia ſubmittat, otij dulcibus fruendo delitiis. Si, quam ducimus homines, vita, dici conſuevit continua peregrinatio ; quævis ratio perſuadet, eidem opportere concedi diverſorium ; cuius in umbra debitiſque commoditatibus laſſa membra reclinet, fatigationem demulceat, fugatas vires revocet, priſtinum robur inſtauret, quatenus ad præfixum itineris terminum pervenire valeat. An non veſtram venit in mentem, Cytharedos in inſtrumentis ſuis, muſicæ dedicatis, tenſas chordas omni ſtudio remittere, quatenus ſcilicet, immunes â ruptione permaneant, ſuo vero tempore rurſus pulſatæ, iucundiſſimâ conſonantiâ cælum adimpleant ? Et quid obſecro ? tauro robuſtius (cum Ovidio loquor) quid equo Spirituoſius ? Nihilo tamen minus & ille, ſi perinde nulla ipſi concedatur reſpiratio, ſub enormi iugi pondere fractus, enervatuſque Succumbet ; & iſte, ſi quies omnis ipſi denegetur, in generoſi Martis campo, infelix mortis victima evadet.

Cernitis ut duris (& quid bove firmius ?) arvis
fortia taurorum corpora frangat opus ?
Occidet ad circi ſi quis certamina Semper

Non intermissis cursibus ibit equus.

Non lectum á vobis in Romano sapiente, quòd: *nascitur ex assiduitate laborum, animorum hebetatio quadam, & languor*? ac proinde: *danda est remissio animis.* Quoniam *meliores acrioresque requieti surgent.* Sanè, ipsos dies festos quos sinceri fideles ad reformandum applicant Spiritum, & ad merum DEI consecrant obsequium, olim gentilitas assumpsit (nisi memoratus nuperrimè Seneca nos fallit) ut laboribus quietem interponerent, atque publico gaudio cives ad honestum restaurandisque viribus necessarium otium avocarent: *tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Atque hinc profectum fortassis est, quòd cùm â civitatibus prudenti regimine gubernatis, tum â SS. Canonibus, Conciliis, & Collegiatis Ecclesiis; tum ab ipsis quoque SS. Patribus Basilio, Hieronymo, Augustino, Benedicto, Dominico, Francisco, Brunone, certa tempora assignentur, quibus á consuetis laboribus desistatur. â Civitatibus quidem curiis, foro, iudicibus & tribunalibus; â Canonibus, Conciliis &c. Templorum Ministris; â SS. Patribus & Legislatoribus, suis in instituto, quod pro lege sanxerunt, sequacibus: omnibus ab omnibus illum in finem, ut tensum seu negotiorum, seu Servitiorum, seu quorumvis Spiritûs applicationum arcum quandoque remittant, remittendo rursus intendant, fortificent, & ad ulteriora studia qualificent.

De tranquill. c. 15.

9. Quam ob rem, si consonum veritati, sit, quod cantatum â Papista mantuano: quòd:

Omnia qua duro sunt debilitata labore,
Restituit secura quies; medicamina fessis
Otia sunt; lassis instaurant otia vires;
Quas labor enervat, quas longa negotia frangunt.

I v Sylvar 4. ad Innoc. VIII.

Id unicum porro superest, ut Dominis Accademicis, qui cygnorum adinstar hactenus in studiorum suorum nataverunt sudore, ammodo complaceat, gloriosos suos labores

bores promeritis interſtitiis intercalare. Exeant modò liberis pedibus eruditorum Lyceorum ambitum, ſeque dehinc conferant, ad blandientem Villarum viriditatem, ibique tranſigant in ulmorum ac vitium umbrâ lætas dies, ſeque perinde ſimul habilitent ad promerendos Virtutum lauros; uſurpentur oculis argentei fontium cryſtalli, auſcultentur ſcitè iratorum rivulorum murmura, decurrantur eorundem pulchrè ſinuoſi flexus: deambulentur extenſæ pratorum planities; ſuperentur aſcenſu eminentes ac amœni colles, ut contractâ dulci fatigatione, quieſci confidentiùs poſſit, ſuper Parnaſſum & Heliconem. Non pigeat certis temporibus ruralem comitari Pomonam, ut cùm Palladis, tùm Minervæ quoque denuò ferventiùs reaſſumi queat obſequium. Atque ut etiam ad Apollinis iucundiùs redeatur cytharam, volupè modò ſit, eiuſdem, in habitu venatoris divinam adminiſtrare & arcûs & ſagittarum armaturam. Demum ne diutius vos morer, id â vobis impetrari patiamini, velim; ut nunc benignâ frui dignemini Autumni temperaturâ, quatenùs hoſthac adventante hyberni rigoris inclementiâ, ipſi vos in Vrbem recepti, uberem vobiſcum referre valeatis florum, ingeniorum ſcilicet, abundantiam, & in apertam rurſus Accademiam quandam inferre, Veris imaginem.

10. Cæterum vos N. Si, pro argumenti deductione, thematiſque commiſſi probâ, aut nihil, aut parùm pro guſtu fuit allatum, veniam officioſè imploro. Et dabitis, ſcio: ſeu quoniam per integrum huius anni decurſum nectareum ab aliorum labris ſuxiſtis ſaporem; ſeu quoniam vobis perſpectiſſimum eſt, in fundo (nam hic meus omnium diſcurſuum ultimus eſt) turbatiorem Semper & minus ſuavem manere ſolere liquorum ſubſtantiam.

LAVS DEO